

BIBLIOTHEQUE
UNIVERSITAIRE

DOCTOR ET
S-LETTRE
—
COLLECTION

LECLERC

DA REST

1850


6


HF
uf
90
179









The image shows the front cover of a book. The cover is decorated with a marbled paper pattern in shades of green, brown, and blue. A central white rectangular label contains the following text:

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ.

CE LIVRE

Provient de la Bibliothèque

de

JOSEPH-VICTOR LE CLERC


Membre de l'Institut


Doyen de la Faculté des lettres de Paris


de 1832 à 1863.

The label is centered on the cover, and the marbled pattern is visible around it. The book is bound in a dark red material, visible at the edges.









H. F. u. f. 90
DE

FORMA ET CONDITIONE

SICILIÆ PROVINCIÆ ROMANÆ

DISSERUIT

R. DARESTE,

DOCTOR JURIS, IN FACULTATE LITTERARUM JAM LICENTIATUS, SCHOLÆ
CHARTARUM OLIM ALUMNUS.



LUTETIÆ,
AUG. DURAND.

MDCCCL





UNIVERSITÉS DE PARIS
BIBLIOTHÈQUE DE LA SORBONNE
15, RUE DE LA SORBONNE - 75257 PARIS CEDEX 05
TEL : 01 46 46 30 27 - FAX : 01 46 46 30 44

Inv.

d/J.V. Le Clerc

SIGB

S1b11 1809775 / 1809779

SU 060214074

060214104

Cote RHFUF 8=90-<178,179>

1153390054



JURISCONSULTIS LITTERATISSIMIS

PRÆCEPTORIBUS BENE MERITIS

AUG. PELLAT, ED. LABOULAYE,

HOC OPUSCULUM

D. D. L.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
1850
1851
1852
1853
1854
1855
1856
1857
1858
1859
1860
1861
1862
1863
1864
1865
1866
1867
1868
1869
1870
1871
1872
1873
1874
1875
1876
1877
1878
1879
1880
1881
1882
1883
1884
1885
1886
1887
1888
1889
1890
1891
1892
1893
1894
1895
1896
1897
1898
1899
1900
1901
1902
1903
1904
1905
1906
1907
1908
1909
1910
1911
1912
1913
1914
1915
1916
1917
1918
1919
1920
1921
1922
1923
1924
1925
1926
1927
1928
1929
1930
1931
1932
1933
1934
1935
1936
1937
1938
1939
1940
1941
1942
1943
1944
1945
1946
1947
1948
1949
1950
1951
1952
1953
1954
1955
1956
1957
1958
1959
1960
1961
1962
1963
1964
1965
1966
1967
1968
1969
1970
1971
1972
1973
1974
1975
1976
1977
1978
1979
1980
1981
1982
1983
1984
1985
1986
1987
1988
1989
1990
1991
1992
1993
1994
1995
1996
1997
1998
1999
2000
2001
2002
2003
2004
2005
2006
2007
2008
2009
2010
2011
2012
2013
2014
2015
2016
2017
2018
2019
2020
2021
2022
2023
2024
2025

DE

FORMA ET CONDITIO

SICILIÆ PROVINCIÆ ROMANÆ.

PROLEGOMENA.

Devictis ad Ægusas Carthaginiensibus, Siciliam totam, exceptis Syracusis et iis civitatibus quæ ad Hieronis regnum pertinebant, consul C. Lutatius in provinciam redegit eo jure, ut quotannis Roma prætor Lilybæum mitteretur (1).

Secundo autem bello punico, quum ad Carthaginienses Syracusani defecissent, missus in Siciliam consul Marcellus Syracusas partim vi, partim proditione cepit (2). Varia deinceps fortuna decertatum, donec, recepto Agrigento, oppido munitissimo, consul Lævinus insulam totam armis occupavit (3). Descriptæ Siculis leges a Marcello primum, tum deinde a Lævino, senatusque auctoritate de more sancitæ. Livius refert Syracusas legationes omnium ferme civitatum Siciliæ ad Marcellum convenisse, disparemque conditionem, ut causa dispar erat, impetravisse : « Qui ante captas Syracusas aut non desciverant aut redierant in amicitiam, ut socii fideles accepti cultique ; quos metus post captas Syracusas dediderat, ut victi a victore leges acceperunt (4). »

(1) Anno ante Christum natum 241. Vid. Polyb., I, 62 ; II, 1. Sex civitates Hieroni subjectas Diodor. Sicul., lib. XXIII, memorat : Acrensens, Leontinos, Megarenses, Eloritas, Netinos, Tauromenios.

(2) T. Liv., XXV, 36-40. — Anno ante J.-C. 211.

(3) T. Liv., XXVI, 40 : « Et quod ad Siciliam attinet, eo anno debellatum est. » — Anno ante J.-C. 210.

(4) T. Liv., XXV, 40 ; Cf. XXVI, 29-40 ; Plutarch., Marcell., cap. 25.

Ita composita provincia, Siculos Lævinus coegit positis tandem armis ad agrum colendum animos convertere, ut esset non incolarum modo alimentis frugifera insula, sed urbis Romæ atque Italiæ annonam levaret. Quum vero rei frumentariæ et pecuariæ necessitate mirum in modum crevisset servorum numerus, duo servilia bella exstiterè quorum alterum a P. Rupilio consule (1), alterum a M. Aquilio (2) confectum est. Redintegrata ab utroque pristina forma conditioque provinciæ, decem legatis ad Rupilium a senatu missis, de quorum sententia rem omnem frumentariam judicariamque legibus composuit. Eæ sunt celeberrimæ Rupiliæ leges quas a C. Verre contemptas esse Cicero sæpissime queritur, quas imperatoris populi romani auctoritate, decem legatorum dignitate, senatus denique consulto firmatas prætores omnes, tum in proponendis edictis, tum in jure dicundo rebusque administrandis maxime observabant (3).

Consimili ratione romanos imperatores de senatus auctoritate et sententia provinciarum formam constituisse accipimus, ut Lucillum et Pompeium Asiæ et Bithyniæ, Æmiliū Paulum Macedoniæ, Mummium Achaïæ, Lentulum Cypri (4). Ita Lævinus, Rupilius et Aquilius ut legum Siculis datarum auctores sæpe memorantur (5).

Veteri enim gentium jure, quotiescumque fortuna belli populus in alterius populi ditionem venerat, victus victori addicebatur, qui quum in personas vitæ necisque potestatem haberet, plerumque secum in servitutem abducebat, res agrosque omnes occupando suos faciebat. Sæpius autem ipsis victoribus commodius utiliusque visum summo jure non agere, subactasque gentes legibus suis uti rebusque frui sinere; neque alia ratione populus romanus, in constituenda provinciarum forma, certis demum conditionibus suos provincialibus agros fruendos, suas leges utendas reddiderat.

(1) Anno ante J. C. 152. — Diodor. Sic., lib. XXXIV.

(2) Anno ante J. C. 101. — Diodor. Sic., lib. XXXVI.

(3) Cic., in Verr., act. II, lib. II, cap. 15-16. — Valer. Maxim., VI, 9, 8; Cf. Cic., in Verr., lib. III, cap. 7: « Novam legem te in decumis statuissè non miror... sed quod tua sponte, injussu populi, sine senatus auctoritate, jura provinciæ Siciliæ mutaris, id reprehendo, id accuso. »

(4) F. Walter, *Geschichte des Römischen Rechts bis auf Justinian*, Bonn. 1843, t. I, p. 269.

(5) Cic., in Verr., lib. III, cap. 34.

Quæ conditiones quales in Sicilia fuerint jam videamus (1). Lectores autem præmoneantur necesse est nullam fere in toto orbe romano provinciam fuisse quæ meliori jure quam Sicilia uteretur. De ejus provinciæ dignitate, vetustate, opportunitate sæpe dixit Cicero, ejus magnificam hanc laudationem afferre lubet, ut summi oratoris verbis hoc opusculum feliciter auspicemur : « Omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam fidemque populi romani applicavit. Prima omnium, id quod ornamentum imperii est, provincia est appellata : prima docuit majores nostros quam præclarum esset exteris gentibus imperare. Sola fuit ea fide benevolentiaque erga populum romanum ut civitates ejus insulæ quæ semel in amicitiam nostram venissent nunquam postea deficerent, pleræque autem et maxime illustres in amicitia perpetuo manerent (2). »

Ex iis igitur quæ Verres in Sicilia suburbana ausus est, con-
jicere licet quid ceteræ remotiores provinciæ perpessæ fuerint.

(1) Ea de re consulimus dissertationes duas nempe : Th. Francke, *Prolegomena in Ciceronis orationes verrinas, de provinciarum romanarum forma atque administratione in Miscellaneis maximam partem criticis*, edd. Friedemann et Seebode. T. II, p. 295-353, Wittenberg, 1825, in qua præter multos Ciceronis locos nihil fere utile invenimus ; tum C. Zumpt. *Ueber den Zustand und die Verwaltung Siciliens unter Römischer Herrschaft. Archiv für Philologie und Pädagogik*, t. II, pp. 259-263. Helmstedt, 1825. Ciceronis Verrinas ex optima ejusdem Zumptii editione (Berolini, 1831) citavimus. Neque hic silentio prætereundus videtur vir eruditus N. Desjardins, qui totam vectigalium romanorum rationem in addendis ad Ciceronis orationes a se editas exponere non infeliciter conatus est (Parisiis, 1758). Videndus etiam Dureau de la Malle, *Economie politique des Romains*, 1840, t. I.

(2) Cic., in Verr., lib. II, cap. 1. Cf. cap. 2 ; lib. III, cap. 6, et passim.

Franco. Hotman...
Nic. Desjardins...

I.

DE MAGISTRATIBUS ROMANIS.

Summam provinciæ administrationem prætor aut proconsul populi romani habebat (1). Eorum plures erant qui quotannis provincias inter se sortiebantur. Quemadmodum igitur jure gentium victus hostis victori addicebatur, nec quidquam ab eo sibi vindicare poterat, sed iis tantum utebatur conditionibus quas precario impetravisset, ita prætor in bona personasque provinciarum summum imperium potestatemque habebat (2).

Romæ etiam plerisque magistratibus infinita potestas a populo dabatur, sed pluribus eodem tempore, ita ut alii aliis intercedere possent, adeoque tota respublica æqua veluti lance libraretur (3). Præterea si quis mandato sibi imperio abuteretur, tribuni plebis de abrogando imperio ferre ad populum poterant. In provincia vero unus magistratus, cui nullus collega intercederet (4), imo qui peregrinis romanus imperaret, neque provincialibus sed populo romano rationes redderet. Quod si acerbius aut iniquius in provincia se gessisset, eum accusare soli cives romani poterant, provinciales non poterant, nisi potentis cujusdam patroni auxilium implorarent qui prætoris decedentis nomen deferret.

Unus igitur prætor jurisdictionem in provincia exercebat, mi-

(1) Imperium prætoris, etsi annuum erat, prorogari tamen poterat, ut Verri per triennium. Cf. Cic., in Verr., lib. IV, cap. 20, Pseud. Ascon. in Divinat., § 5 (Orelli, p. 101); Schol. Gronov. in Divinat., § 1 (Orelli, p. 582).

(2) Cic., in Verr., lib. III, cap. 18.

(3) Vid. Puchta, *Institutionen*, t. I, p. 516, Leipzig, 1845.—Laboulaye, *Essai sur les lois criminelles des Romains, concernant la responsabilité des magistrats*. Paris, 1845.

(4) Cic., in Verr., lib. II, cap. 12.

litibus imperabat, res omnes administrabat, vectigalia vendebat, actionum civilium formulas in edicto proponebat, de vita et capite reorum cognoscebat (1). Huic a senatu quæstor et legati dabantur, sed legati jurisdictionem nullam nisi a prætore mandata habebant; quæstor etsi legibus certum officium, certisque in rebus propriam jurisdictionem habebat, tamen, quum filii loco apud prætorem esset, longe aberat quin ei unquam intercederet, impiumque videbatur ejus nomen ab ipso deferri (2).

De officio prætoris aut proconsulis plurima senatusconsulta, plurimæque leges erant, ideo tamen minus quam perfectæ quod quædam fieri vetarent, non impedirent, quæ si commissa erant, unus aut alter annus expectandus erat donec decedens prætor quamvis sera pœna plecteretur, prætor autem novus res in integrum restitueret.

Primum enim formam et jura provinciæ de senatus decemque legatorum auctoritate constituta observare debebat, quibus ei subrogare non derogare in edicto proponendo permittebatur. Tum proficiscenti in provinciam senatus mandata dabat quemadmodum se gerere, vectigalia vendere, rem militarem administrare deberet. Cavebatur etiam ne nimium a provincialibus exigeret, ideoque mercaturam aut fenerationem in provincia facere prohibebatur. « Ei qui in provinciam cum potestate aut legatione esset profectus, ait Cicero (3), dabatur argentum de publico, vestis præbebatur legibus; sancitum etiam erat ne quis emeret mancipium nisi in demortui locum. » Fundum ei provincialem habere non licebat, aut uxorem e provincia ducere (4). In provinciam autem cum uxore proficisci ægre concessum erat, siquidem senatus censuerat futurum ut si quid uxores eorum, qui ad officia proficiscebantur, deliquissent, ab ipsis ratio et vindicta exigeretur (5). Pecuniam ad stipendium militibus dandum, frumentum reipublicæ

(1) Ulpian., l. 9, pr. D., *De officio proconsulis et legati* (I, 16): « Nec quidquam est in provincia quod non per ipsum expediatur. » — Id., ibid., l. 7, § 2: « Quum plenissimam jurisdictionem proconsul habeat, omnium partes qui Romæ vel quasi magistratus, vel extra ordinem jus dicunt, ad ipsum pertinent. »

(2) Cic., in Q. Cæc. Divin., cap. 19. — Pompon., l. 15, D., *De officio proconsulis et legati* (I, 16).

(3) Cic., in Verr., lib. IV, cap. 5.

(4) Paul., l. 58, pr., *De ritu nuptiarum*, D. (XXIII, 2). — Concubinam autem ex provincia habere poterat. Paul., l. 5, D., *De concubinis* (XXV, 7).

(5) Ulp., l. 4, § 2, D., *De officio proconsulis et legati* (I, 16).

emendum, ceterosque usus, quæstori ejus senatus numerabat, aut a publicanorum societate quæ in provincia esset, versura facta, transcribi jubebat. Ipsi autem prætori stipendium nullum dabatur. Si quid opus esset, sumptu publico præbebatur (1). Provincia nihil nisi frumentum in cellam et habitationem dabat. Siciliæ prætores Syracusis in insula habitabant, domoque magnifica quæ regis Hieronis quondam, publica populi romani facta fuerat, utabantur (2). Æstate, quum provinciam circumirent, sive ut cave-
rent de piratarum incursionibus, sive ad conventus habendos, tum, in singulis civitatibus, publicis aut privatis hospitibus excipiebantur. Imo ne proconsulibus aut præsidibus provinciarum munera a provincialibus accipere nisi modica xeniola liceret, vetuere, ut videtur, romani principes (3).

Quum ceteris prætoribus quæstor unus daretur, in Sicilia quæstores duo erant: quorum alter Lilybæi, alter Syracusis manebat, quoniam, ut diximus, diversis temporibus diversæ partes insulæ in Romanorum ditionem venerant, et provincia Sicilia duplex quodam modo erat (4). Hi pecuniam ab ærario acceptam administrabant; tabulas, ad rationes reddendas, conficiebant; mandata denique prætoris exsequebantur, qui ipsis aut jurisdictionem, aut partem militaris imperii, aut vectigalium vendundorum curam mandabat. Ipsi tamen certis in rebus propriam jurisdictionem, edicendique facultatem habebant, eandem scilicet quam Romæ ædiles curules, ut de nundinis et rerum venditionibus (5).

De legatis prætorum nihil notatu dignum invenimus, qui nihil proprium habebant nisi a prætore mandatum. Imperium autem quod *merum* jurisconsulti appellant, atque etiam *potestas*, aut *jus gladii* dicebatur, nulli mandare prætor poterat, neque apud quemquam

(1) Cic., in Verr., lib. V, cap. 18.

(2) Cic., in Verr., lib. IV, cap. 53 et passim. In ea insula, quæ munitissima erat, portumque Syracusarum clauderat, Marcellus Syracusanum neminem habitare voluerat. Cic., in Verr., lib. V, cap. 52.

(3) Ulp., l. 6, § 5, D., *De officio proconsulis* (I, 16). — Modestin., l. 18, D., *De officio præsidis* (I, 18): « Plebiscito continetur ne quis præsidum munus, donum caperet, nisi esculentum potulentumve quod intra dies proximos prodigatur. »

(4) Vid. Pseud. Ascon., in Cic. Divinat. adv. Cæcil., § 2 (Orelli, p. 100): « Quum vero a duobus quæstoribus Sicilia regi soleat, uno Lilybitano, altero syracusano. » — Cf. Cic., in Verr., lib. II, capp. 4, 8.

(5) Gaius Instit., lib. I, § 6. Cf. D., lib. XXI, tit. I, *De ædilio edicto et redhibitione et quanti minoris*.

Ulpian, l. 16:
re nisi victus
quotidiani causa

. 22

alium reorum nomina in provincia deferebantur; modica autem coercitio sine qua jurisdictio nulla est, quam mixtum imperium Ulpianus vocat, cum jurisditione mandari videbatur (1).

Cohortem præterea secum prætor in provinciam ducebat; amicorum et necessariorum, in quibus haruspices, medici, præcones, interpretes, scribæ, accensi, lictores, viatores, apparitores erant. Præcipuum autem scribarum ministerium erat quibus pericula prætoris et tabularum conficiendarum cura committebantur in quibus ille edicta decretaque, accepta expensave omnia referri curabat. De Verris cohorte sæpissime mentio fit apud Cicero- nem, ut in qua profligati homines essent, improbissimi prætoris avaritiæ ministri (2).

« Præses provinciæ, ait Paulus jurisconsultus (3), in suæ provin- ciæ homines tantum imperium habet. » Cives igitur romani si qui in provincia essent, præter eos qui in legionibus merebant, prætoris imperio subjecti non erant. Tuebantur eos videlicet, ut Romæ ita in provincia, lex Porcia legesque Sempronix, quæ civem romanum virgis cædi aut securi feriri vetabant (4). Eorum permulti et locupletissimi in Sicilia ut in suburbana pro- vincia erant, in quibus aratores, negotiatores, mercatores, ar- gentarios, publicanos invenimus (5), qui aut Roma in Siciliam venerant, aut ex ipsa provincia oriundi civitatem romanam alicujus prætoris beneficio adepti erant (6). Ex his conventus fiebant in quibus prætor jus dicebat, et si quis plurimum auctoritatis haberet, is ut causarum patronus verba apud prætorem faciebat.

(1) Ulp., l. 5; Javolen., l. 2, D., *De jurisdictione* (II, 1); — Paul., l. 5, D., *De officio ejus cui mandata est jurisdictio* (I, 21).

(2) Cic., in Verr., lib. I, cap. 14; lib. II, capp. 10, 15; lib. III, capp. 11, 28, 56, 65, 66, 79.

(3) Paul., l. 5, D., *De officio præsidis* (I, 18).

(4) Cic., in Verr., lib. V, cap. 65; pro Rabirio, cap. 4. Cf. Walter, *Geschichte des Römischen Rechts*, t. I, p. 107.

(5) Cic., in Verr., lib. II, cap. 5: « Quid.... quod multis locupletioribus civibus utimur quod habent fidelem fructuosamque provinciam quo facile ex- currant, ubi libenter negotium gerant; quos illa partim mercibus suppeditan- dis cum quæstu compendioque dimittit, partim retinet, ut arare, ut pascere, ut negotiari libeat, ut denique sedes ac domicilium collocare. » — Cf. lib. II, capp. 6, 62; lib. III, capp. 5, 10, 12, 14, 22, 24, 40, 41, 59, 64, 65; lib. IV, cap. 45.

(6) Ut a Pompeio, Cic., in Verr., lib. IV, capp. 11, 22; a Sulla, ibid., lib. IV cap. 17.

Viginti ex eorum numero recuperatorum consilium prætori adhibebatur. In his plurimi equites romani, etiam senatores erant (1). Eos autem Verres, spretis legibus, perinde ac provinciales habuit; virgis cædi, extremo supplicio affici non indemnatos modo sed innocentes jussit, in quibus Gavium illum, municipem cosanum, qui, quum cruci affigeretur, nihil aliud vociferabat nisi *Civis romanus sum*, quasi hac una voce iniquissimi prætoris superbiam et crudelitatem condemnaret (2).

Unum igitur non provincialium modo sed et civium romanorum, qui in provincia sedem habebant, subsidium ac perflugium erat in judiciis repetundarum, de quibus hic dicere non vacat. Sed quam difficile et arduum fuerit provincialibus res suas ita repetere, ipsa illa Verris accusatio testatur, qui quum Siciliam totam impudenter expilasset, in ipsa provincia persæpe dixerat « se habere hominem potentem, cujus fiducia provinciam spoliaret, neque sibi soli pecuniam quærere, sed ita triennium illud præturæ siciliensis distributum habere, ut secum præclare ageretur si unius anni quæstum in rem suam converteret, alterum patronis et defensoribus suis traderet; tertium illum uberimum quæstuosissimumque annum totum iudicibus reservaret (3). » Et quanquam defensionem Siciliæ Cicero susceperat, non multum abfuit quin Verres a senatoribus absolveretur. Non aliam igitur ob causam patronos Romæ provinciæ habebant, potentissimum quemque et locupletissimum. Ita Marcelli, tum Pompeius, Lentulus, Sisenna, Lucullus, Cicero denique patrociniū Siciliæ susceperant (4).

(1) Gaius Instit., lib. I, § 20.

(2) Cic., in Verr., lib. V, capp. 62, 63.

(3) Cic., in Verr., act. I, cap. 14.— Quum decedens e provincia Verres accusatum iri se prævideret, cogebat civitates publice de se testimonium laudationemque dare; statuas sibi decerni, etiam Verris celebrari curabat qua die antea Marcellia celebrabantur (Cic., in Verr., lib. II, capp. 21, 47). Complures, qui testimonium contra Verrem dicere parabant, Metellus, qui Verri successerat, in provincia retinuit.

(4) Cic., in Verr., lib. II, capp. 42, 43, 21; lib. III, cap. 18; lib. IV, cap. 41.

II.

DE CIVITATIBUS SICULIS ET RE MUNICIPALI.

Sicularum civitatum numerus Ciceronis tempore LXV fuit, quum CXXX censores a Timarchide, accepta pecunia, factos esse dicat (1). Cui numero addendæ videntur civitates fœderatæ duæ quarum respublica prætoris curæ commissa non erat, Messana nempe et Tauromenium, ita ut sint omnes LXVII. Consentire videtur Plinius in celebri catalogo (2), ubi si corrupta emendaveris, his commemorata exemeris, omissa addideris, idem ferme numerus efficietur (3).

Quarum civitatum conditio quadruplex fuit (4).

Aut enim liberæ et immunes erant, sive icto cum populo romano fœdere ut Mamertinorum, Taurominitanorum, atque etiam, ut videtur, sed non optimo jure, Netinorum, sive sine fœdere, quarum quinque a Cicerone numerantur, Centuripina, Halesina, Segestana, Halicyensis, Panhormitana.

Aut stipendium populo romano pendebant, sive decumas omnium fructuum solverent, sive ipsarum ager in contumaciæ pœnam publicus populi romani factus, ipsisque precario redditus,

(1) Cic., in Verr., lib. II, cap. 55.

(2) Plin., Hist. nat., lib. III, cap. 14.

(3) Zumpt. ad Cic. Verr., lib. III, cap. 6. — Adde T. Liv., XXVI, 40 : « Proditæ brevi sunt viginti oppida ; sex vi capta ; voluntaria deditione in fidem venerunt ad quadraginta. » — Diod. Sic., in fragmentis libri XXIII (Bipontinæ edit. t. IX, p. 516), ubi de civitatibus siculis loquitur quæ primo anno primi belli punici ad romanos consules legatos miserant, ait : ἡσαν δὲ ἐξήκοντα καὶ ἑπτὰ.

(4) Schol. Bobbiens., in Cic. pro Scauro, § 44 (Orelli, p. 573) : « Aliæ civitates sunt stipendiariæ, aliæ liberæ. Stipendiariæ quæ bello subjunguntur, liberæ quæ ad amicitiam sponte veniunt. »

a censoribus locaretur. Decumanas XXXIV recenset Cicero; de ceteris etsi fusius non loquitur et perpaucae fuisse ait, earum numerum circiter XXV fuisse ex supradictis apparet. De decumis et censoriis locationibus infra dicemus, quum stipendiariae civitates omnes eadem reipublicae forma usae esse videantur (1).

Satis erit si monuerimus civitates in Sicilia XVII fuisse ob praestitam populo romano fidem maximo honore semper habitas. In earum numero erant Tyndaritani quos ita vociferantes Cicero inducit: *Nos in septemdecim populis Siciliae numeramur: nos semper omnibus punicis siciliensibusque bellis amicitiam fidemque populi romani secuti sumus: a nobis populo romano semper et belli adjumenta et pacis ornamenta ministrata sunt.* Eas XVII civitates aurum Veneri Erycinae conferre permiserat senatus romanus (2).

Foederatas civitates tres fuisse diximus, Mamertinorum videlicet qui Romanos in Siciliam vocaverant, Taurominitanorum Netinorumque, ob insignia ut videtur in populum romanum merita.

De ipsis foederum conditionibus nihil fere novimus. Cautum tamen esse constat ut foederatae civitates vectigalibus immunes essent, suisque legibus uterentur, adeo ut quodam modo extra provinciam essent neque praetorum imperio obnoxiae (3). Neque tamen omni onere publico exemptae erant; tributum enim, ut videtur, conferebant (4); frumentum imperatum pretio aestimato dabant; auxilia denique et naves ad praesidium provinciae plerumque dare debebant (5). Ipsa denique immunitas ut infra

(1) Cic., in Verr., lib. III, cap. 6; ibique Zumpt.—De Netinis eo loco a Cicerone omissis vid. in Cic. Verr., lib. V, cap. 51: « Netinorum foederata civitas. » — Adde Cic., in Verr., lib. V, cap. 22.—Netinos autem non optimam foederis conditionem obtinuisse ideo Zumpt. vidit, quod Mamertinis Taurominitanisque civitatem romanam, Netinis latinitatem tantummodo donatam apud Plinium loc. cit. invenimus.

(2) Cic., in Verr., lib. V, cap. 47, et quae Zumpt. notat.—Diod. Sic., IV, 85: Ἡ τε σύγκλητος τῶν Ῥωμαίων εἰς τὰς τῆς θεοῦ τιμᾶς φιλοτιμηθεῖσα, τὰς μὲν πιστοτάτας τῶν κατὰ τὴν Σικελίαν πόλεων, ὅσας ἑπτακαίδεκα, χρυσόφορεῖν ἐδωκεν αὐταῖς τῇ Ἀφροδίτῃ.

(3) Cic., in Verr., lib. II, cap. 66: « Taurominitani quorum est civitas foederata, homines quietissimi qui maxime ab injuriis nostrorum magistratuum remoti consueverant esse praesidio foederis. »

(4) Cic., in Verr., lib. II, cap. 33: « Omnes Siculi ex censu quotannis tributa conferunt. »

(5) Cic., in Verr., lib. V, cap. 21: « Taurominitanis autem foedere cautum erat ne navem darent. »

videbimus non privatis sed civitati data, ita ut in agro vectigali aut decumano aratores ex fœderatis civitatibus decumas vectigalve penderent. Præclarum hujusmodi fœderis cum græca civitate pacti monumentum in ære incisum in hunc diem forte conservatum habemus, quod vulgo plebiscitum de Thermensibus Pisidis majoribus nominatur, ceterumque in eamdem fere formulam conceptum est (1).

Earum civitatum quæ sine fœdere liberæ et immunes erant non absimilis conditio fuit. Immunitas autem in earum agris, ut infra etiam videbimus, non ipsi solo sed civibus data, ita ut earum incolæ decumas darent. Tum, etiamsi legibus suis uterentur, gravius tamen in eas prætoris romani imperium videtur fuisse. In his erant Segestani, quorum oppidum ab Ænea fugiente a Troja atque in hæc loca veniente conditum fuisse fama vulgaverat; ipsi se non socios modo atque amicos sed etiam cognatos populi romani appellabant (2). Præterea Centuripini, quorum civitas, maxima et locupletissima totius Siciliæ, populum romanum in syracusano bello adjuverat (3). Panhormitani denique, Halesini et Halicyenses, sive propter loci opportunitatem, sive propter insignia in rem romanam merita (4).

Decumanæ aut censoriæ civitates stipendium aut vectigal pendebant, ceterum suis et ipsæ legibus utebantur, nisi quod paulo adductius eas prætores romani regerent.

Ceterum eadem apud omnes reipublicæ forma, nec mirum: ea enim erat Romanis provinciæ administrandæ ratio ut provinciælibus relinqueretur quidquid sine detrimento imperii relinqui poterat. Itaque nunquam fere cum privatis hominibus, nisi cives romani essent, at contra semper cum civitatibus rem habebant prætores romani. Ipsæ quæ sibi opus essent providebant, tributum populo romano persolvendum a singulis civibus exigebant, jussa denique prætoris exsequebantur, qui, cum paucorum cohorte missus in provinciam, cavebat ne quid contra rempublicam imperiumque fieret. Singulis sui reditus erant sive ex agro quem arandum locabant, sive ex tributo quod ad suos usus percipiebant.

*Cic.
Justitiam unus
qui fuit in Thermis...*

(1) Vid hoc plebiscitum apud Gœtting. *Fünfzehn römische Urkunden auf Erz und Stein*. Halle, 1843, p. 12.

(2) Cic., in Verr., lib. IV, cap. 58.

(3) Cic., in Verr., lib. IV, cap. 23; lib. V, cap. 52.

(4) De Halesinis vid. Cic., in Verr., lib. II, cap. 49.

Nihil igitur mirum si etiam in tenuissimis civitatibus, aut in illis quas vi et armis Romani subegerant aliquam liberæ reipublicæ formam invenimus, quæ non minus commodi populo romano quam Siculis solatii afferebat. Eam, sive in formula provinciæ, sive legibus postea datis concesserat senatus romanus, aut potius veterem confirmaverat, mutatis iis quæ nimiam δημοκρατίαν spirare viderentur.

Igitur in singulis Siciliæ civitatibus senatum (1) invenimus de communi civitatis utilitate deliberantem, magistratusque, ut videtur, ab ipso populo, factis comitiis, electos. De rebus maximi momenti senatus, saltem verbo tenus, populum consulebat; quare sæpius hanc magnificum aliquid sonantem formulam apud Ciceronem invenimus: SENATUS POPULUSQUE CENTURIPINUS (2); SENATUS POPULUSQUE SYRACUSANUS (3); CENTURIPINORUM SENATUS DECREVIT POPULUSQUE JUSSIT (4).

Primum igitur de senatu videamus.

De numero senatorum nihil constat. Hoc unum novimus, in locum demortuorum ceteros senatores suffragiis cooptare solitos qui senatorio honore maxime digni viderentur. Cautum autem legibus erat ne quis, nisi certo genere et censu, certa denique ætate cooptaretur. Memorat Cicero leges a C. Claudio Pulchro prætore de senatus romani et Marcellorum, in quorum clientela tota Sicilia erat, sententia, Halesinis ultro petentibus datas, de

(1) De senatu agyrinensi (III, 27), amestratino (III, 59), imacharensi (III, 42), centuripino (III, 45), halesino (III, 75), syracusano (II, 49), thermitano (II, 56), agrigentino (II, 50), heraciensi (II, 50), catinensi (II, 49), panhormitano (II, 49; V, 8), mamertino (IV, 8), segestano (IV, 54), tyndaritano (IV, 59) loquitur Cicero in Verrinis. — Vid. præterea Cic., in Verr., II, 5: « Levissimi quidam ex miserrimis desertissimisque civitatibus qui injussu populi ac senatus proficiscerentur. » — II, 51: « Nolite exspectare dum omnes obeam oratione mea civitates. »

(2) Cic., in Verr., lib. III, cap. 45.

(3) Cic., in Verr., lib. IV, cap. 62.

(4) Cic., in Verr., lib. II, cap. 67. Cf. Cic., in Verr., lib. IV, cap. 62: « Quum in ceteris Siciliæ civitatibus senatum populumque docuisssem. » — In monumento cuidam Juliæ Basillæ dicato inscriptum legimus: ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ ΔΗΜΟΣ ΤΗΣ ΑΛΜΗΡΑΣΙΑΣ ΠΟΛΕΩΣ ΤΑΥΡΟΜΕΝΕΙΤΩΝ. Vid. Muratori., p. 1085, n° 5. — Ο ΔΑΜΟΣ ΤΩΝ ΓΕΛΩΝ. Vid. Corp. inser. græc. Berlin., n° 5475. In plurimis inscriptionibus, Agrigenti, Gelæ, Melitæ græca formula reperitur: ἰδὲς τῶν ἀλλῶν καὶ τῶν συγγενῶν. Vid. n°s 5491, 5551, 5595, 5752.

X Un peu avant: « Siciliæ
veteris nummi —
(Palmyre, 1784, in-fol.) X
Corremuzza, Sic.
Jusur, p. 51:
Βραχισιας.
Muratori, d'après le coin de
Piero Ligorio, à Rome.

senatu cooptando, in quibus multa sanxerat de ætate hominum, ne qui minor triginta annis natus, de quaestu quem qui fecisset ne legeretur, de censu, de ceteris rebus (1) (anno ante J.-C. 98). Agrigenti autem et Heracliae, quum colonos ex ceteris Siciliae civitatibus deduxissent Agrigentum T. Manlius praetor (anno ante J.-C. 207), Heracliam P. Rupilius (anno ante J.-C. 132), cautum erat legibus ne plures de colonorum quam de veterum civium numero in senatu essent; quas leges descripserant Agrigentinis Scipio, Heracliensibus P. Rupilius (2).

Nomina senatorum in albo, ut videtur, scripta erant; qui decem primi aut quinque primi ex ordine erant maximo honore habebantur. Eos nonnunquam Syracusas ad se praetor evocabat ut Centuripinorum X primos (3), Agyrinensium V primos (4). Qui primus in albo erat princeps civitatis appellabatur (5).

Quis fuerit mos senatus habendi docuit Cicero, qui, quum in Siciliam ad instruendam Verris accusationem venisset, in senatu syracusano adfuerat. Mos erat nempe ut, si qua de re ad senatum referretur, diceret sententiam qui vellet. Nominatim nemo rogabatur: et tamen, ut quisque honore et ætate antecedeat, ita primus solebat sua sponte dicere, idque a ceteris ei concedebatur. Si quando tacerent omnes, tunc sortito cogeantur dicere (6). Etiam si suus cuique civitati senatus habendi mos videtur fuisse, attamen non inutile erit eum Syracusanorum morem memoravisse.

De administratione rerum ad civitatem pertinentium liberi decernebant senatores, dummodo is qui summam potestatem habebat, praetor nempe populi romani, non intercederet; adeoque precaria erat hujusmodi libertas, ut quaecumque praetor imperasset senatores coacti decernerent; itaque, ut unum exemplum afferamus, Verris laudationem publicam, imperante Metello Verris successore, decrevit senatus syracusanus (7).

Quanquam igitur senatorum cooptatio ad praetorem non per-

(1) Cic., in Verr., lib. II, cap. 49.

(2) Cic., in Verr., lib. II, cap. 50.

(3) Cic., in Verr., lib. II, cap. 67.

(4) Cic., in Verr., lib. III, cap. 28.

(5) Προσάρας. Vid. Inscript., n° 5475, in Corp. inscr. græc. Berolinensi.

(6) Cic., in Verr., lib. IV, cap. 64.

(7) Cic., in Verr., lib. II, cap. 65 et passim.

tinebat, facile est intelligere quantum etiam ex ea causa pecuniæ sibi conciliare potuerit prætor avarus. Neminem Verre prætor in tota Sicilia senatorem factum esse, nisi ejus imperio ac litteris, queritur Cicero, imo nihil leges et jura Siculorum valuisse, quominus ii cooptarentur quibus aut genus aut census aut denique ætas deesset; eum semper satis idoneum fuisse qui plurimum licitatione facta obtulisset (1).

Præter senatum, suos magistratus a populo electos singulæ civitates habebant, de quorum nominibus, numero, auctoritate paucissima novimus.

Primi igitur censores nominandi sunt, qui, ut Romæ, bini in singulis civitatibus erant. « Ille est magistratus apud Siculos, ait Cicero, qui diligentissime mandatur a populo, propter hanc causam quod omnes Siculi ex censu quotannis tributa conferunt: in censu habendo potestas omnis æstimationis habendæ summæque faciendæ censori permittitur. Itaque et populus cui maximam fidem rerum suarum habeat maxima cura deligit, et propter magnitudinem potestatis hic magistratus a populo summa ambitione contenditur (2). »

Summo autem honore in singulis civitatibus habebantur proagori, quorum munus erat res ad senatum deferre et senatus mandata exsequi. De Dyonisiarcho proagoro Catinensium (3) et Sopatro proagoro Tyndaritanorum (4) loquitur Cicero. Quo nomine magistratus ceteræ civitates haberent non constat, at verisimile est ut munera ipsa ita nomina convenisse.

Erant et alii magistratus quos quæstores et ædiles Cicero vocat quos tamen, ut censores, græco non latino nomine appellatos esse facile credas (5); ædilibus cura urbis et ædificiorum et nun-

(1) Cic., in Verr., lib. II, capp. 49, 50.

(2) Cic., in Verr., lib. II, cap. 55.

(3) Cic., in Verr., lib. IV, cap. 25.

(4) Cic., in Verr., lib. IV, cap. 59. Agrigentorum proagorus invenitur etiam in Corp. inser. græc. Berolin, n° 5491.

(5) Cic., in Verr., lib. II, capp. 55, 67; lib. IV, cap. 45; vide etiam exempli gratia inscriptiones tres in Corpore inscriptionum græcarum, edd. Bœckh et Franz. vol. III, Berolini 1848, n° 5425, 5426 et 5427, ubi acrensens magistratus recensentur, ἀγρονόμοι nempe quinque aut quatuor, τριακᾶδάρχαι septem, γραμματεὺς καὶ φραδάτης unus, quibus adjunguntur ὑπογραφεὺς, ὑπηρέτας, κάρυξ. Τριακᾶδάρχαι autem phylarchorum genus esse videntur. Apud Tauromenios inveniuntur ἱερμνάμοι, ταμίαι, σιτοφύλακοι quorum singulis mensibus redditas rationes legimus in alia inscriptione, n° 5640.

dinarum, quaestoribus ærarii et litterarum publicarum cura committebatur, in quibus omnia decreta sua referri jubebat senatus.

Mos erat apud Græcos ut in singulis civitatibus palæstræ et gymnasia essent quibus plerique cives adscriberentur, quas etiam summa cura ornabant, quum et testamenti factionem, ut videtur, haberent (1). Iis gymnasiarchi præerant quibus et ipsis magnus honos tribuebatur (2).

Denique, ut religiones, ita sua cuique civitati sacerdotia erant, quæ ideo non omittimus quod inter publica munera censerentur; Heraclium illum, qui magistratum Syracusis habebat, Ciceronemque in curiam introduxit, sacerdotem Jovis fuisse legimus (3). Lex erat Syracusis ut amplissimum illud sacerdotium in annos singulos deferretur, ita ut tres ex tribus generibus suffragiis eligerentur, inter quos res revocaretur ad sortem (4). Facile conjicias kalendarii faciendi curam habuisse sacerdotes (5).

Ut in senatoribus cooptandis, ita in comitiis habendis, magistratibusque faciendis nihil apud Verrem valere jura Siculorum, quominus ingentem sibi pecuniam conciliaret, pretiisque acceptis munera et sacerdotia indignissimo cuique pro arbitrio daret. Comititia eo prætor censorum faciendorum ne simulandi quidem causa fuerunt, quum una eademque die CXXX censores creavisset et in singulas civitates descripsisset Verris accensus Timarchides; qui, postquam ita magistratum emerant, censum ita habuere ut quam pecuniam erogassent a civibus suis rursus exigerent (6).

De ipsis autem comitiis popularibus nihil compertum est, quæ quidem, ut jam antea diximus, verbo tenus videntur fuisse concessa (7). In legibus enim concedendis cavebat senatus romanus

(1) De Syracusanorum et Bidinorum palæstris vid. Cic., in Verr., lib. II, capp. 14, 22.

(2) Democritum Tyndaritanorum gymnasiarchum invenimus apud Cic., in Verr., lib. IV, cap. 42. — Cf. Corp. inscr. græc. Berolin, n° 5473, ubi populus Gelensium Heraclidam gymnasiarchum olei corona donat. — Taurōmenienses gymnasiarchi bini singulis annis creabantur, certamque pecuniæ e olei quantitatem de publico gymnasiis attributam administrabant. Vid. Corp. inscr. græc. Berolin., n° 5641.

(3) Cic., in Verr., lib. IV, cap. 61.

(4) Cic., in Verr., lib. II, cap. 51.

(5) Cic., in Verr., lib. II, cap. 52.

(6) Cic., in Verr., lib. II, capp. 51-54.

(7) Populum lilybitanum in tribus duodecim distributum fuisse comperi-

ut provinciales civitates ἀριστοκρατικῶς constituerentur (1). Quum omnem vim atque potestatem senatus ejusque civitatis haberet, iique demum senatores essent qui genere aut opibus plurimum apud suos possent, ita ubi paucos homines privilegiis et honoribus, aut etiam data civitate romana (2) sibi conciliaverant Romani, totam provinciam in manibus habebant.

Verri decedenti e provincia statuæ non a singulis modo civitatibus, aut ordinibus, sed a *communi totius Siciliae* datæ sunt (3). Cave autem ne credas ideo provinciam Siciliam communem rempublicam habuisse, aut res communes per convocatos in unum legatos administrasse, quum nec tale quidquam apud scriptores antiquos invenias, et, si non inter omnes, at certe inter quasdam Siciliae civitates commercium non esset (4). Mos enim erat Romanis ut provincias magnas et refertas opibus prohibitis commerciis dividerent, quo facilius imperarent.

Alia deinceps privilegia siculis civitatibus contulere romani principes. Quibusdam enim Cæsar latinitatem dedit; mortuo autem Cæsare Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem a dictatore comitiis latam qua Siculi cives romani; ejus rei vivo illo mentio nulla (5). Verum aut non de Siculis omnibus sed de una alterave civitate loquitur Cicero, aut privilegium Siculis concessum non ita multo post abrogatum est.

Coloniæ romanæ a Cæsare Augusto deductæ Catinam (6) et

mus ex inscriptione apud Orellium, n° 5718 : C. BVLTIO GEMINIO TITIANO PROCOS. PROV. SICIL. COL. C. OB INSIGNEM EIVS BENIVOLENTIAM ERGA ORDINEM ET PATRIAM XII TRIB. PATRONO MERENTI. Earum una nomen Jovis Augusti affectaverat. Vid. aliam inscriptionem apud Orellium, n° 5719.

(1) Ut in Achaia. Vid. Polyb., XL, 9-11; Pausan., VII, 16, 6 : ὡς δὲ ἀφίκοντο οἱ σὺν αὐτῷ βουλευσόμενοι, ἐνταῦθα δημοκρατίας μὲν κατέπαυε, καθίστατο δὲ ἀπὸ τμημάτων τὰς ἀρχάς.

(2) Complures cives romani in Sicilia facti a Sulla et Pompeio. Vid. Cic., in Verr., lib. IV, capp. 41, 17, 22.

(3) Cic., in Verr., lib. II, capp. 59, 65.

(4) Cic., in Verr., lib. III, cap. 40. In agro segestano, ut exemplum afferamus, commercium nemini alieno fuit.

(5) Cic., ep. ad Attic. XIV, 12 : « Scis quam diligam Siculos et quam illam clientelam honestam judicem. Multa illis Cæsar neque me invito; etsi latinitas erat non ferenda; verumtamen, etc. »

(6) Plin., Hist. nat., lib. III, cap. 14; Strab., lib. VI, pp. 268, 271.

Syracusas (1), tum vero, incertum quibus imperantibus, Tauro-
menium, Thermas Himerenses, Tyndarim (2), Panhormum (3),
Lilybæum (4), Agrigentum (5). Lilybitanorum (6), Hennensium (7),
Haluntinorum (8), Melitensiumque (9) municipia in nummis et
inscriptionibus invenimus. Messanam et Liparam civium romano-
rum oppida Plinius appellat (10).

Præterea, jam Plinii tempore Centuripini, Netini, Segestani la-
tinæ conditionis erant (11).

Inde vero a celeberrima illa Antonini Caracallæ constitutione,
qua omnes qui in orbe romano essent cives romani effecti sunt (12);
nullum inter Siciliæ civitates discrimen esse potuit, nisi forte jus
italicum nonnullæ obtinuerint, quo jure provinciale solum italico
solo æquabatur, adeo ut et dominium ex jure Quiritium, et man-
cipationem, et in jure cessionem, et usucapionem denique recipe-
ret, quum antea pro dominio veluti possessio et ususfructus, pro
mancipatione aut in jure cessione traditio, pro usucapione longi
temporis possessio locum haberet. Itaque vectigalis immunitas
hoc privilegio continebatur (13).

(1) Anno ante Christ. nat. 20; Dio. Cass., lib. LIV, p. 527; Strab., lib. VI,
p. 270; Plin., Hist. nat., lib. III, cap. 14. — Monum. Ancyran., n° 4.

(2) Plin., loc. cit. — Inscript. lat. apud Orellium, n° 933: COL. AVG.
TYNDAR.

(3) Strab., lib. VI, p. 272. — Inscript. lat. ap. Orell., n° 948: COL. AVG.
PANHORM. (anno ante J.-C. 219); n° 5760: TI. CLAUDIO HERODIANO
C. V. LEG. PROV. SICIL. IVDICI RARISSIMO PATRONO COL. PANHORM.
PRINCIPALES VIRI EX ÆRE COLLATO D. D. — In nummo apud Eckhel,
Doctrina nummorum, t. I, p. 252, legitur: PANHORMITANORVM. CN.
DO. PROC. A. LÆTOR. HVIR.

(4) Inscript. lat. ap. Orell., n° 5718, quam supra jam citavimus. Corp. inser.
græc. Berolin., n° 5493: ORDO ET POPVLVS CIVIT. LILYBIT.

(5) Eckhel, *Doctrina nummorum*, t. I, p. 194.

(6) Inscript. lat. ap. Orell., n° 1691: MVNICIPI LILYBITANORUM.

(7) Nummus apud Eckhel, t. I, p. 207: MVN. HENNA. M. CESTIVS
L. MVNATIVS HVIR.

(8) Corp. inser. græc. Berolin., n° 5608: TO MOYNYKIHION TON
AAONTINON. Vid. ibid. inscript. latinas duas Augusto et Liviae ab eodem mu-
nicipio dicatas.

(9) Inscript. latin. apud Bresium *Malta illustrata*, 1816, p. 515 ss. Cf. Corp.
inser. græc. Berolin., n° 5754.

(10) Plin., Hist. nat., lib. III, cap. 14.

(11) Plin., loc. cit. Cf. Strab., lib. VI, p. 271.

(12) L. 17, D., *De statu hominum* (I, 5).

(13) De jure italico vid. Plin., Hist. nat., lib. III, capp. 4, 25. — Legg. 1,

Si qua civitas jus coloniæ, aut municipii, aut civitatis adepta erat, omnes in ea cives jam non peregrini erant, sed commercium et connubium cum Romanis habebant et jure civili utebantur. Quanto autem in honore fuerit illud civis romani nomen ex ipso Cicerone compertum habemus, qui Gavium cruci a Verre affixum nihil aliud vociferantem inducit quam *civis romanus sum*. Tum reipublicæ forma magis ad exemplar romanæ reipublicæ accommodabatur, neque jam in Sicilia proagoros, sed duumviros invenimus (1).

Qui latinum nomen habebant ab imperio prætoris exempti erant, commerciumque cum Romanis at sine connubio habebant; iis denique qui in latina civitate muneribus omnibus defuncti erant civitas dabatur (2).

6, 7, 8, D., *De censibus* (L, 15); Walter, *Geschichte des Römischen Rechts*, t. I p. 385-387. — Puchta, *Institutionen*, t. I, p. 412 ss.; Savigny, *Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft*, t. V, p. 242 et ss.; t. VI, p. 356 ss. Savigny et Puchta contendunt in iis tantum civitatibus magistratus cum jurisdictione fuisse quæ jus italicum haberent; quod Walter negat, et jure quidem ut videtur.

(1) Walter, *Geschichte des Römischen Rechts*, pp. 382-384. Cf. Cic., in Verr., lib. V, cap. 62.

(2) Walter, pp. 284, 584. Vid. Ulp. Reg., XIX, 4; V, 4. Gaius, Instit., lib. I, § 79.

III.

DE JURE DICUNDO ET JUDICIIS.

« Siculi hoc jure sunt, ait Cicero, ut quod civis cum cive agat, domi certet suis legibus; quod Siculus cum Siculo non ejusdem civitatis, ut de eo prætor judices ex P. Rupilii decreto... sortiatur. Quod privatus a populo petit aut populus a privato: senatus ex aliqua civitate qui judicet datur, quum alternæ civitates rejectæ sunt. Quod civis romanus a Siculo petit, Siculus judex datur; quod Siculus a civi romano, civis romanus datur. Ceterarum rerum selecti judices ex civium romanorum conventu proponi solent. Inter aratores et decumanos, lege frumentaria, quam Hieronicam appellant, judicia fiunt (1). »

De privatis Siculorum legibus quum nihil ad nos pervenerit, reliquum est ut de prætoris jurisdictione dicamus, qui de omnibus litibus pronuntiabat, sive ipse, causa cognita, de consilii sententia decerneret, sive judices recuperatoresve daret aut sortiretur. Eam autem jurisdictionem legatis mandare, mandatamque revocare poterat (2). Quotannis igitur obibat prætor provinciam et diversis in locis conventus habebat, quorum in Sicilia quatuor, ut videtur, erant, Syracusis videlicet, Agrigenti, Lilybæi, Panhormi (3). Huc præstituta die conveniebant ad tribunal cives

(1) Cic., in Verr., lib. II, cap. 15.

(2) Vid. D., *De officio ejus cui mandata est jurisdictio* (1, 21).

(3) Cic., in Verr., lib. II, cap. 25: « Epierates quidem continuo restitutus est (Syracusis). Alia judicia Lilybæi, alia Agrigenti, alia Panhormi restituta sunt. » — De conventu lilybitano Cf. lib. V, cap. 5: « Testis splendidissima civitas lilybitana; testis honestissimus maximusque conventus civium romanorum. » — De Panhormitano, lib. V, cap. 7: « Quem is uti Panhormum venit ad se vocari et de tribunali citari jussit, concursu magno frequentiaque conventus. » Add. V, 11, 24.

romani in provincia negotiantes et in iudicium decuriis inscripti, litigantes, causarumque patroni; tum lege agebatur apud eum, aut iudicia constituebantur, donec, negotiis omnibus absolutis, Syracusas prætor reverteretur.

De ipsis autem actionibus vix est quod dicamus. Si quis enim eam materiam noscere velit, jurisconsultos adeat. Satis erit si monuerimus prætorem in provinciam venientem edictum proponere solitum fuisse, in quo, præter actiones legitimas, alias se petentibus daturum pollicebatur, sive ad verba legis fictionibus accommodatas, sive in factum conceptas. Eas igitur actionum formulas litigantibus dabat in quibus iudex includeretur. Si quam autem causam edicto sibi reservaverat, causa cognita, extra ordinem decernebat (1).

Præclara iudiciorum privatorum exempla apud Ciceronem leguntur, ubi græca passim verba occurrunt. Actor enim reo dicam scribere dicebatur, id est *δικην γράφειν*. Lex autem Rupilia vetabat sortiri dicam diebus XXX proximis quibus scripta esset; tum qua die prætor se iudices daturum pronuntiaverat, ipse aut legatus ejus in foro citatis partibus sortiebatur (2). Cetera ut Romæ fiebant.

Rerum capitalium cognitio ad prætorem solum pertinuisse videtur; senatum enim catinensem de servi non de liberi hominis capite iudicantem accipimus (3). Prætor igitur ipse, causa in foro publice instructa, decernebat, de consilii sententia, in quo cives romani de conventu honestissimi vocati erant (4). In damnatos imperium et jus gladii habebat quod quidem nulli mandare poterat (5).

Sed ut ceteris in rebus ita præcipue in jure dicundo nihil prætori impedimento erat quin jura legesque provinciæ contemneret, ac, sive in provinciales, sive in ipsos cives romanos pro lubricine decerneret. Verres enim iudices non de conventu, sed de cohorte sua hominum perditorum dabat; præterea iudicia omnia resque

*in quo cives . . .
honestissimos habebat.
in honestissimi sedebant.
iudicabant.*

(1) Formulam quam Octavianam Icti vocant in Metelli prætoris edicto fuisse Cicero testatur, in hæc fere verba conceptam: *Si quid per vim aut metum factum fuerit ut rescindatur iudicium dabo*. Vid. Cic., in Verr., lib. III, cap. 63.

(2) Cic., in Verr., lib. II, capp. 15-17.

(3) Cic., in Verr., lib. IV, cap. 43.

(4) Cic., in Verr., lib. II, cap. 29.

(5) Vid. Ulp., l. 6, pr. D., *De officio proconsulis et legati* (I, 16).

judicatæ omnes in ejus manibus erant quas aut ratas habere aut irritas esse jubere poterat (1), quum nemo esset qui prætori improbo in provincia intercederet (2). Unicum igitur remedium erat a novo prætore beneficium restitutionis in integrum implorare; aut, si pecuniam ad jus secundum alterutram partium dicendum accepisset, Romæ, finita prætura, per alium civem romanum, repetundarum accusare. Ita Metellus qui Verri successit, primo statim adventu omnia fere Verris judicia rescidit, compluresque in integrum restituit (3). At ii, quos Verres, ne ab eis accusaretur, in foro syracusano ad palum alligari, securique feriri jusserat, sicularum navium præfecti, seram Verre condemnato vindictam obtinuerunt.

(1) Edixerat Verres : « *Si qui perperam judicasset se cogniturum ; quum cognosset, animadversurum.* » Cic., in Verr., lib. II, cap. 15. Quo edicto omnia judicia in suam potestatem redegerat. Cf. lib. II, capp. 12, 27.

(2) Cic., in Verr., lib. II, cap. 12. Semel in senatu de manifesta Verris injuria, sed nequidquam actum est. Vid. lib. II, cap. 39.

(3) Cic., in Verr., lib. II, cap. 25.

IV.

DE RE MILITARI ET NAVALI.

Romanis copiis, si quæ in Sicilia, fidelissima provincia et pacis amantissima, essent, præerat prætor populi romani. Ea autem præsidia quæ ad tuendam insulam sive terra sive mari necessaria erant, ipsi videntur suppeditasse provinciales. Ita Scipio Africanus equites navesque ad bellum adversus Carthaginienses Siciliæ imperavit; Labeoni prætori, anno ante J.-C. 190, potestas a senatu data in supplementum exercitus scribere ex ipsa provincia, si vellet, peditum duo millia et centum equites. Quod et sæpe alias factum (1).

Ceterum, Verre prætore, quum nullus jam metus servilis belli esset (2), unum erat provinciæ Siciliæ periculum a piratis qui mare infestabant, ac sæpius incolas oræ maritimæ agellos pretio redimere cogeant (3). Itaque milites ad præsidia, navesque instructæ ad cursus maritimos singulis Siciliæ civitatibus imperabantur. Earum decem erant quæ, P. Cæsetio quæstore et P. Tadio legato imperantibus, piratarum navem præda onustam ceperunt. Septem alio loco Cicero memorat quibus syracusanum Cleomenem Verres præfecerat, a Centuripinis, Segestanis, Tyn-daritanis, Herbitensibus, Heracliensibus, Apolloniensibus, Haluntinisque datas. Sumptum omnem in classem, frumento, stipen-

(1) T. Liv., lib. XXIX, cap. 1; lib. XXXVII, cap. 2.— Cic., in Verr., lib. V, cap. 47. — Cæsar, de bello civili, lib. I, cap. 50.

(2) Omnibus prætorum edictis cautum erat ne quis cum telo servus esset. Vid. Ciceronis narrationem de L. Domitio prætore qui pastorem, quoniam aprum venabulo percussisset, in crucem tolli jussit. Cic., in Verr., lib. V, cap. 5.

(3) Ut Liparenses. Vid. Cic., in Verr., lib. III, cap. 37.

dio, ceterisque rebus navarcho suo quæque civitas dabat. Is civibus suis rationem referebat (1).

In quo Verres ita se gessit, ut a Taurominitanis, qui navem ex fœdere non deberent, exigeret; Mamertinis, qui contra deberent, remitteret; tum frumentum pecuniamque omnem sibi a civitatibus adnumerari jussit, nautas militesque pretio accepto missos fecit, reliquis nihil dedit (2). Classis igitur inanis ac destituta a prædonibus capta atque incensa est. Verres autem, quasi turpissimæ avaritiæ memoriam aboliturus, quatuor innocentes navarchos in foro syracusano securi feriri jussit.

(1) Cic., in Verr., lib. V, capp. 17, 24, 25, 35, 34.

(2) Cic., in Verr., lib. IV, capp. 9, 34; lib. V, capp. 19, 20, 24.

V.

DE VECTIGALIBUS.

Venimus nunc ad vectigalia quæ Siculi populo romano pendebant, quorum genus multiplex fuit; in quo hoc primum notatu dignum est, quod inter omnes provincias Sicilia, propter utilitatem et opportunitatem, et optima plerarumque civitatum erga populum romanum merita, optimo jure constituta erat. Quum enim Hispaniæ et maximæ parti Africæ vectigal certum imponeretur, quod stipendiarium appellabant, et omni modo persolvi debebat, Asiæ autem solum, publicum populi romani factum, a censoribus lege Sempronia locaretur, ita ut veteres domini agros, quos antea in bonis habuissent, jam nunc conductos ararent et precario possiderent, suos plerisque Siciliæ civitatibus agros non alio nisi decumarum onere gravatos Romani reddiderant. Paucis censoria locatio constituta, nonnullis immunitas concessa (1).

In ceteris autem vectigalibus quæ non rebus soli sed personis rebusve mobilibus imponerentur, tributo videlicet, scriptura, portorio et si quæ alia erant, nihil fere inter Siciliam ceterasque provincias intererat.

Sed antequam de vectigalium natura disseramus, pauca de Siculorum industria, et opibus, et soli conditione, unde persolvendo vectigali suppeteret, videntur præmittenda.

Omnem utilitatem opportunitatemque provinciæ Siciliæ consistere in re frumentaria maxime Cicero ait, adeo ut cella penaria reipublicæ, nutrix plebis romanæ a M. Catone nominaretur; neque oratorie, sed jure contendit de vita victuque populi romani cognituros judices quum de Verris capite judicarent (2).

(1) Cic., in Verr., lib. III, capp. 5, 6; lib. II, cap. 57.

(2) Cic., in Verr., lib. III, cap. 5; lib. II, cap. 2.—In nummis siculis apud Eckhel, t. I, signum aratri aut ovīs incusum sæpissime invenimus.

Præterea Siculi rem pecuariam necessario quodam vinculo agriculturæ conjunctam, tum mercaturam maritimæque commercia summo studio exercebant. Ordines aratorum, pecuaria, mercatorum, naviculariorum apud Ciceronem laudatos invenimus (1).

Totus agriculturæ labor per servos fiebat, quorum vinctos greges innumeros vidisse se testantur Strabo et Diodorus Siculus (2). Ipsa privatarum arationum mensura maxima erat, quas aut ipsi domini per servos suos colebant, aut aliis colendas elocabant. Permulti locupletes homines arationes magnas conductas habebant, easque magna impensa magnoque instrumento tuebantur. Unus Nympho quidam centuripinus tritici septem millia medimnum ex arationibus sustulerat uno anno (3). Imo, etsi commercium inter siculas civitates non erat, ita ut justum fundi dominium in alia civitate acquirere nemini liceret, conducere tamen licebat; adeoque permultos invenimus, plerumque Centuripinos homines in aliarum civitatum agris arantes (4). Agri enim ætensis multo maximam partem possidebant, in leontino autem agro, præter unam Mnasistrati ejusdam familiam, glebam Leontinorum possidebat nemo; aratorum centuripinorum maximus in eo agro numerus erat (5). Diocles quidam panhormitanus agrum in Segestanis conductum habebat HS VI (6). Permulti

(1) Cic., in Verr., lib. II, capp. 6, 55 et passim.—Vid. Cic., in Verr., lib. V, cap. 8, ubi de Apollonio panhormitano loquitur: « Fortunæ ejus ita constitutas fuisse: familia, pecore, villis, pecuniis creditis, etc. »

(2) Strabo., lib. VI, p. 275; Diod. Sic., lib. XXXIV (Bipont. edit., t. X, p. 115): ἕκαστος τῶν πολλῶν χώραν κεκτημένων ὅλα σωματοτροφεία συνηγάζον καὶ τοὺς μὲν πίδαας δεσμεύειν, τοὺς δὲ βαρύνει τῶν ἔργων καταπονέειν, πάντας δὲ τοῖς ὑπερηφάνοις χαρακτῆρσι κατέστιζον, etc.

(3) Cic., in Verr., lib. III, capp. 21, 22.—(Gallice: 7,000 médimnes à 6 modii par médimne font 42,000 modii, soit 3,628 hectolitres, le modius valant en litres 8,64. Le prix de 3,628 hectolitres de froment, à raison de 15 francs l'hectolitre, en moyenne, serait aujourd'hui de 54,420 francs. Nous savons d'ailleurs par Cicéron (in Verr., III, 59) que le prix du médimne était de 15 sesterces dans les bonnes années: 7,000 médimnes valaient donc 105,000 sesterces, dont la valeur intrinsèque est de 22,050 francs, le sesterce valant 21 centimes. Bien qu'il n'y ait pas de mesure de la valeur, on peut, cependant, inférer de ces calculs que la valeur relative de l'argent était alors double de ce qu'elle est aujourd'hui.)

(4) Cic., in Verr., lib. III, cap. 43.

(5) Cic., in Verr., lib. III, cap. 46, 48.

(6) Cic., in Verr., lib. III, cap. 40. (6,000 sest. valent intrinsèquement 4,260 francs; relativement, plus de 2,300)

præterea cives romani præsertim ex equestri ordine agros in Sicilia colebant, sive in decumanis civitatibus (1), sive in iis quibus censoria locatio constituta.

De aratorum numero uno loco loquitur Cicero : siquidem in agro leontino, ubi jugerum subscriptio ac professio non plus XXX esset (2), aratores LXXXIV primo anno Verris præturæ fuisse testatur, in mutycensi CLXXXVII, in herbitensi CCLII, in agyrinensi CCL, quem numerum Verris exactiones triennio ad tertiam partem reducere (3). Quod si igitur in singulis civitatibus aratores circiter CC fuisse admittamus, erant in tota Sicilia aratores circiter XV. Cujus numeri paucitatem mirari licet, modo memineris in una civitate centuripina X civium teste Cicerone fuisse (4). Adeo servilis operæ usus nocuerat ingenuorum industriæ, eorum videlicet qui ipsi per se et singulis jugis ararent, quorum magnam ante Verrem prætorem multitudinem fuisse oratorie profecto Cicero ait (5).

De re pecuaria nihil est quod dicamus, quippe quam eosdem aratores per servos exercuisse verisimile est.

De mercatura et maritimis commerciis satis erit si monuerimus nihil fere nisi fructum agrorum pecudumque exportasse Siculos. Magnam copiam frumenti, tum boves, coria, lanam, vinum denique mamertinum aut catinense, fruges minutas, oleum, et hyblæ mellis amphoras Romam et in Italiam mittebant. Salis etiam et croci centuripini mentionem Plinius facit (6). Nihil præterea in Sicilia fabricatum fuisse videtur, nisi forte cælaturum argentum et vestis magni pretii quam melitensem appellabant (7).

(1) Ut Matrinus in Leontine, Lollius in Ætensi. Cic., in Verr., lib. III, capp. 24, 25.

(2) Cic., in Verr., lib. III, cap. 47.

(3) Cic., in Verr., lib. III, cap. 54.

(4) Cic., in Verr., lib. II, cap. 68.

(5) Cic., in Verr., lib. III, cap. 11.

(6) Cic., in Verr., lib. II, capp. 2, 70. Cf. Strabo, lib. VI, pp. 268, 275. Plin., Hist. nat., lib. XXI, cap. 17; lib. XXXI, cap. 41. Cic., in Verr., lib. III, cap. 7; lib. IV, capp. 26, 46.

(7) De mercibus quæ in Siciliam importabantur vid. Cic., in Verr., lib. V, cap. 56 : « Quæcumque navis ex Asia, quæ ex Syria, quæ Tyro, quæ Alexandria venerat.... Illi ad deprecandum periculum proferebant, alii purpuram tyriam, thus alii atque odores, vestemque linream; gemmas alii et margaritas; vinâ nonnulli græca, venalesque Asiaticos. »

Plin. : c. de Neapolitano
* Campanique agris...
Le Soufre ? *
Angustinus in c. de...
* Hybla, p. m. M. J. J.
an. j. Melilla, an. 92.
de Syracusa.

Nihil igitur mirum est si maximum uberrimumque vectigal arationibus agrorum imposuerant Romani; quod, quum foederatae liberaeque civitates immunes essent, eae tantum civitates persolvebant quae suos agros a populo romano, aut veteri decumarum percipiendarum jure, aut censoria locatione, receperant; de quibus singulis antequam dicamus, vectigal ipsum quid sit videamus.

Maximos romani aerarii redditus a censu fluxisse compertum est, secundum quem unusquisque paterfamilias certam pecuniae summam in publicum, pro modo fortunarum suarum, dabat. Præterea agrum in Italia publicum populi romani factum censores aut stipulata mercede elocabant, aut privatorum occupationi, quota parte fructuum sibi reservata, relinquebant, aut in pascua publica convertabant, proque ipsis de singulis gregibus vectigal exigebant, quae scriptura vocabatur. Certa denique certis rebus vectigalia imposita sunt, ut portoria, sed privatis agris nunquam ulla. Ager enim censui censendo, qui domini ex jure Quiritium erat, nullum vectigal pendebat; neque proprie dominium intelligi poterat si cui solo hujus modi onus esset impositum.

Subactis autem provinciis, vectigal iis demum agris impositum est qui, belli jure publici populi romani facti, veteribus dominis certis conditionibus redditi erant, quasi signum quoddam retenti justi domini. Ideoque Gaius ait: « Sed in provinciali solo placet plerisque solum religiosum non fieri, quia in eo solo dominium populi romani est vel Caesaris; nos autem possessionem tantum et usumfructum habere videmur (1). » Ager enim vectigalis ejus esse non videbatur qui vectigal daret, sed ejus cui vectigal daretur.

Eorum autem qui agrum vectigalem ararent, duplex, ut jam vidimus, conditio in Sicilia fuit. Aut enim decumas omnium

(1) Gaius, Instit., lib. II, § 7. Quæquidem Gaii verba suo loco movenda et ad explicandam vectigalium naturam adhibenda esse negant Niebuhr, (*Röm. Geschichte*, t. II, p. 331) et Savigny: *Ueber die Römische Steuer-Verfassung unter den Kaisern* (*Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft*, t. VI, p. 333), quoniam vectigalia in publicos usus impensa fuisse manifestum est. Reipublicae autem temporibus, quum Italia, ipsa immunis, provincialium vectigalibus adjuvaretur, siculoque frumento romana plebecula aleretur, recte dici potuit ita populum romanum vectigalibus frui quemadmodum fundi dominus pretio locationis fruitur. Neque aliter Cicero loquitur in orationibus quas ad Quirites contra Rullum de lege agraria habuit.

fructuum solvebant, ceterum agros suos, etsi non in dominio legitimo, tamen in bonis habebant; aut pacta mercede agros ad certum tempus conductos arabant, unde non jura in re, sed obligationes tantum oriebantur.

Ea autem, ut subtilius ficta erant, ita diu consistere non potuerunt. Re enim et facto soli proprietatem ad eum qui maximam utilitatem ex eo percipit semper fere reverti necesse est, neque unquam agri vectigalis conductoribus jus in re nisi verbo tenus denegatum est.

In Sicilia igitur ea primum quæ siculorum regum antea fuerant publica populi romani mansere, cujus agri eadem quam agri publici in Italia conditio fuit (1).

Præterea XXXIV civitatibus suus ager ita redditus ut populo romano decumæ omnium fructuum darentur.

Denique civitatibus circiter XXV censoria locatio constituta (2); inter quas Syracusæ, Drepanum, Lilybæum, Mylæ, Herbessus, Camarina, Bidis, Echella, Selinus, Adranum, Triocala, Phintias, Megara. De earum conditione his verbis Cicero loquitur: « Per paucae Siciliae civitates sunt bello a majoribus nostris subactæ: quarum ager quum esset publicus populi romani factus, tamen illis est redditus; is ager a censoribus locari solet (3). »

Quid autem in eam locationem conductionem venerit, inter quos et quodnam obligationis genus inde exstiterit videamus.

Ciceronis loco fretus ubi legitur « *qui publicos agros arant, certum est quid e lege censoria debeant* » Zumptius ipsum agrum colendum censores aratoribus locavisse putat (4). Quod ut in se parum verisimile, ita alio Ciceronis loco refutatur, quem jam attulimus, ubi de eodem agro legitur: « *Tamen illis est redditus.* » Walterus igitur non ipsum agrum colendum, sed vectigal de eo tollendum in locationem venisse dicit (5). Nos, cum neutro, aut potius cum utroque consentimus; ubi enim romanorum jurisconsultorum morem attentius observaveris, deprehendes eos omnes juris

(1) T. Liv., lib. XXV, cap. 28; Cic., in Rullum, de lege agraria, lib. II, cap. 21.

(2) Vid. supra, p. 14; Zumpt. ad Cic. Verr., III, 6; eundem *Ueber den Zustand*, etc., p. 261.

(3) Cic., in Verr., lib. III, cap. 6.

(4) Cic., in Verr., lib. V, cap. 21. Zumpt., *Ueber den Zustand*, etc.

(5) Walter, *Geschichte des Römischen Rechts*, t. I, p. 274, not. 4). — Cf. p. 206, nott. 32, 53.

figuras, easdemque inter se diversissimas, ad paucas species reducere, ut emptionem venditionem, locationem conductionem. Quemadmodum igitur vectigal ipsum retenti dominii signum esse intelligebant, ita, si cuius ager non fixam præstitutamque in perpetuum quotam partem fructuum, ut decumam, sed certam pecuniæ summam deberet, quam pro temporibus reipublicæ censores minorem majoremve facerent (1), hunc agrum suum conduxisse dicebant, quoniam inter vectigal ab eo solutum, mercedemque locationis nihil fere interest.

Ceterum censores non ipsum agrum, ut vidit Walterus, sed tollendum vectigal elocabant, quemadmodum cetera vectigalia. Tum aut publicani aut ipsæ civitates vectigal a se conductum redemptumve (utrumque enim pari jure dicitur) a privatis exigebant, actione scilicet locati conducti, qua dominus fundi mercedem quam sibi dari stipulatus est a colono exigit (2). Ideoque latine dicebantur censores agrum locare aut vendere, aratores conducere.

Sed de ipso aratorum jure, post longas controversias demum obtinuit proprium juris genus esse in re aliena. Huic apud ætatis aureæ jurisconsultos proprium nomen inditum invenimus *jus in agro vectigali*, quod postea græco nomine *jus emphyteuticarium* vocatum est. Paulus ita definit: « agrorum locatio in perpetuum facta, id est hac lege ut quamdiu pro his vectigal pendatur, tamdiu neque ipsis qui conduxerint, neque his qui in locum eorum successerint auferri eos liceat (3). » Jam vero Gaii tempore ambigebatur in ea causa utrum emptio et venditio, an locatio et conductio contraheretur (4). Ideoque prætor aratoribus non personalem modo actionem et interdictum *de loco publico fruendo*, sed utilem etiam in rem actionem adversus quemvis possessorem dedit, contra eam juris civilis regulam qua rerum dominium aut jura in re aliena pactis et stipulationibus transferri nequeunt (5).

(1) Cic., in Rullum, de lege agraria, I, 4.

(2) Vid. præter Ciceronis de lege agraria locos infra citatos, Festus, vº *Venditiones*. Hyginus, de conditione agrorum, ed. Lachmann, p. 116 (Berolini, 1848). Walter, *Geschichte des Römischen Rechts*, t. I, p. 206, not. 55.

(3) Paul., l. 1, D., *Si ager vectigalis, id est emphyteuticarius, petatur* (VI, 3), ubi non de agris provincialibus, sed de agris civitatum aut pontificum agitur. Easdem autem in utroque casu juris figuras adhibitas fuisse nemini dubium esse potest, quum ceterum et res et nomina conveniant.

(4) Gaius, Instit., lib. III, § 143.

(5) Vid. D., *De agro publico fruendo* (XLIII, 9); Paul., l. 1, D., *Si ager*

De possessoribus igitur exterminandis, revocandaque precaria concessione nunquam actum est. Ne ille quidem Rullus, qui, Cicerone consule, legem agrariam rogavit, tale quidquam sibi proposuit, sed tantum vectigalis summam augere, eamque novis conditionibus in plures annos publicanis vendere; neque enim aliter intelligendus Cicero noster quum oratoria amplificatione de Rullo dicit: « Persequitur in tabulis censoriis totam Siciliam; nullum ædificium, nullos agros relinquit (1). » Et alio loco: « Nihil est in hac provincia, quod aut in oppidis aut in agris majores nostri proprium nobis reliquerint, quin id venire jubeat. Quod partum recenti victoria majores vobis in sociorum urbibus ac finibus et vinculum pacis, et monumentum belli reliquerunt, id vos ab illis acceptum, hoc auctore vendetis (2)? » Rem enim ipsam si diligentius attenderis, rogabat Rullus ut respublica pecuniam mutuum a publicanis acciperet, cujus pecuniæ causa vectigalia publica oppignerarentur.

His ita expositis, jam ad decumas transeamus.

Civitates decumanas XXXIV recensuit Cicero (3), quarum nomina sunt:

Herbitenses,	Agrigentini,
Hennenses,	Entellini,
Murgentini,	Heraclienses,
Assorini,	Gelenses,
Imacharenses,	Soluntini,
Agyrinenses,	Catinenses,
Ætnenses,	Tyndaritani,
Liparenses,	Cephalæditani,
Tissenses,	Haluntini,
Amestratini,	Apollonienses,
Petrini,	Enguini,
Thermitani,	Capitini,
Calaetini,	Inenses,
Mutycenses,	Elorini,
Leontini,	Ietini,
Hyblenses,	Cetarini,
Menæni,	Scherini.

(æ) Cephalu!

vectigalis, id est emphyteuticarius, petatur (VI, 3); Puchta, *Institutionen*, t. II, § 243.

(1) Cic., in Rullum, de lege agraria, I, 2.

(2) Cic., in Rullum, de lege agraria, II, 48; Cf. Laboulaye, *Des lois agraires chez les Romains* (Revue de législation et de jurisprudence, 1846, t. III, pp. 47-67).

(3) Vid. Cic., in Verr., lib. III, capp. 18-49.

Acestenses præterea Cicero nominat (1) quos propter scripturæ varietatem in catalogum nostrum admittere noluimus. Vulgo enim legitur *Segestenses*.

Halycienses et Segestani etsi agros ipsi immunes habebant, eorum tamen incolæ decumas dabant (2).

Quæ omnis decumarum ratio non a Romanis instituta sed conservata erat, quum jam ante imperium populi romani decumanus ager Sicilia ipsorum Siculorum voluntate et institutis fuisset. Eadem enim conditione populo romano parebant qua suis antea paruerant. Decumas igitur a Hierone Syracusarum tyranno edictas, Hieronica lege semper vendundas prætores populi romani curavere; in quo senatus benignitatem Cicero notat, qui non modo conditionem agri decumani, sed ne nomen quidem Hieronicæ legis, immutaverat, *ut iis jucundior esset muneris illius functio si ejus regis qui Siculis carissimus fuerat non solum instituta commutato imperio, verum etiam nomen maneret* (3).

Legem Hieronicam etsi non habemus, tamen quid præceperit conjectura et indiciis assequi possumus. Debebantur enim decumæ non frumenti modo, sed etiam hordei (4), vini, olei et frugum minutarum (5), tollebanturque non solum de agro publico ejusque civilatis, sed etiam de privatis sive Siculorum hominum sive civium romanorum arationibus (6). Agrorum enim vectigalia et decumæ non in personam, sed in rem quodammodo injungebantur; ideoque in Haliensium et Segestanorum agro decu-

(1) In Verr., lib. III, cap. 36. — Vid. quæ Zumpt. notat.

(2) In Verr., lib. III, cap. 40.

(3) Cic., in Verr., lib. III, cap. 6. — In inscriptione acrensi quæ in Corpore græcarum inscriptionum Berolinensi reperitur, n° 5450, aratorum subscriptionem ex lege Hieronica factam vidit Götting (*Inscriptiones acrenses ad legem Hieronicam pertinentes*, Iena, 1854). Nihil autem aliud lapis exhibet quam quatuor et viginti Siculis hominibus sigillatim attributa θει. (θεῖα?). Quæ lectio si sincera est, non ad arandum, sed ad ædificandum concessi fundi esse videantur, ut ait Franzius. — In lapide halesino (Corp. inser. græc. Berolin., n° 5594), legitur aliquot fundorum (χωρίων) terminorumque quibus singuli continentur descriptio; nonnullis adjicitur onerum mentio quæ conductoribus imponi solent.

(4) Cic., in Verr., lib. III, capp. 51, 54, 81.

(5) Cic., in Verr., lib. III, cap. 7.

(6) Cic., in Verr., lib. III, capp. 21-24. Is autem decumas debebat, non ad quem fundi proprietas pertinebat, sed qui fruebatur, quod in hujusmodi vectigalibus semper observari debere ratio suadet. Vid. Cic., in Verr., lib. III, cap. 22.

mas incolæ dabant, quia immunitas, ut videtur, non agris sed civibus data.

Quotannis numerus aratorum apud magistratus publice sub-
scribebatur (1). Tum, sperati annui fructus ratione habita, cujus-
que civitatis decumæ publice Syracusis coram prætore aut
quæstore veniebant (2). Licebantur digito hinc publicani, inde
legati publice missi a civitatibus ad emendas decumas, quas ei
prætor adjudicabat qui maximam summam obtulerat (3).

Ita facta per aversionem emptione, emptor, qui jam decumanus
appellabatur, in certam frumenti quantitatem populo romano
manebat obligatus, ipse decimam partem ex omni annuo fructu
tollebat (4). Quod si pretio soluto aut promissa quantitate major
aut minor esset decuma, ad eum non ad aratorem nec ad æra-
rium lucrum damnumve pertinebat. Imo vero ne decumanus
plus quam deberetur exigeret ab aratore, neu rursus ab aratore
decumanus falleretur, Hieronica lege cautum erat, quam summa
cura et diligentia scriptam fuisse Cicero ait, ita ut *neque in sege-
tibus, neque in areis, neque in horreis, neque in amovendo,
neque in exportando frumento, grano uno posset arator sine
maxima pœna fraudare decumanum* (5), licentia ut videtur
decumanis facta jugera culta metiendi, messes explorandi, ve-
hicula denique per vias publicas inspiciendi, ne quid in fraudem
decumarum fieret. Ipsi accepti et expensi codices habere de-
bebant, rationesque accuratissime conficere (6).

Si qua forte inter decumanum et aratorem contentio orire-
tur, neque pactio intervenisset, tum iudicium petebat decuma-
nus; prætor proximo conventu foroque recuperatores dabat qui

(1) Cic., in Verr., lib. III, cap. 31.

(2) Decumas vini, olei et frugum minutarum Romæ vendere consulibus se-
natus semel permisit. Cic., in Verr., lib. III, cap. 7; Cf. ibid., cap. 64.

(3) Cic., in Verr., lib. III, capp. 44, 33, 39.

(4) Cic., in Verr., lib. III, cap. 63.

(5) Cic., in Verr., lib. III, cap. 8. Quibus addit orator: « Scripta lex ita
diligenter est ut eum scripsisse appareat qui alia vectigalia non haberet, ita
acute ut Siculum, ita severe ut tyrannum. Qua lege Siculis tamen arare expe-
diret. Nam ita diligenter constituta sunt jura decumano ut tamen ab invito
aratore plus decuma non posset auferri. » — Cf. cap. 47: « Ea est ratio de-
cumanorum ut sine plurimis litteris confici non possit. Singula enim nomina
aratorum et cum singulis pactiones decumanorum litteris persequi et conficere
necesse est. »

(6) Cic., in Verr., lib. III, cap. 41; Cf. lib. II, cap. 43.

*ab opus cubloc
ultra: vino pro
arationem vendito.
Hoc tamen, seducit
ab aratione.*

si aratorem condemnassent, aut ille latitaret, ab eo pignora capiebantur.

Quæ vectigalis tollendi forma quum per se satis molesta aratoribus esset, sæpissime aut emptas a publicano cujusdam civitatis decumas publice civitas redimebat, aut privatim aratores paciscebantur. Adeoque tolerabilis eorum videtur conditio fuisse, qui, quum sculus ager cum octavo aut etiam cum decimo efficeret, maximum tantum decumano dabant quantum severant (1).

Ea omnis ratio vendundarum percipiendarumque decumarum Verre prætore eversa atque immutata est, de cujus edictis quum fusius Cicero disseruerit, paucis dicemus.

Edixit enim Verres *ut aratores jugera sationum suarum profiterentur, tum ut quantum decumanus edidisset sibi dari oportere tantum arator decumano daret; si plus debito dedisset arator a decumano repeteret; in decumanum si plus quam debitum abstulisset in octuplum se judicium daturum, in aratorem rursus in quadruplum; omnium denique controversiarum quæ inter decumanum et aratorem essent, si uter vellet, recuperatores se daturum.* Iniquissima ratione, quum non publicano sed aratori petitionis onus incumberet, quem non ut antea domi rem suam defendere, sed forum publicani sequi et vadimonio Syracusas promisso repetere oportuit. Ceterum corruptis judiciis, siquidem prætor cum decumanis societatem fecerat, neque recuperatores in eos nisi de cohorte sua profligatorum hominum dabat, nil mirum si aratores, Verre prætore, decumanorum libidini et avaritiæ vinctos se tradi addicique quererentur (2).

Huic edicto perpetuo alia repentina addidit Verres; quum enim anno tertio ejus præturæ resisterent Apronio decumano equites romani, suum jus retinere se contra eum posse arbitrati, edixit Verres ne quisquam, antequam cum decumano pactus esset, frumentum de area tolleret, et simul ut ante Kal.

(1) Vid. Cic., in Verr., lib. III, cap. 47 : « In jugero leontini agri medimnum fere tritici seritur, perpetua atque æquabili satione : ager efficit, cum octavo bene ut agatur; verum, ut omnes Dii adjuvent, cum decumo : quod si quando accidit, tum fit ut tantum decumæ sit quantum severis, hoc est ut quot jugera sint sata, totidem medimna decumæ debeantur. »

(2) Vid. Cic., in Verr., lib. III, capp. 10-15.

*Leontini :
Sunt au dix pour
am. — Callanibetta :
45 pour un. —*

Sext. omnes decumas (scilicet imperatas, de quibus infra) ad aquam deportatas haberent; ita ut deportandi dies præstituta tollere cogeret ex area, prohibitio tollendi ni pacti essent vim adhiberet pactioni non voluntatem (1).

Quibus ita constitutis, magno decumas Verres addicebat, interdum etiam plus quam agri decumani ferre possent. Ubi suam quisque civitatem decumanus venerat, incipiebat spoliare atque exagitare aratores, quibus excussis imperabat civitati ut decumas magno emptas majori pretio redimeret, addito lucro et accessione. Quanti quoque anno decumæ venierint, quanti eas redemerint civitates, quantum lucri dederint non ubique indicavit Cicero. Quas tamen affert ille summas satis demonstrant aratores omnes funditus bonis eversos esse. In uno agro leontino quum XXX jugerum subscriptio ac professio esset, quæ LXXXIV aratores colebant, si unum quodque jugerum medimno uno, id est sex modiis, consitum accipimus et cum decumo effecisse, totus fructus annuus sit mod. MDCCC, quorum pars decima CLXXX. Venierunt hujus agri decumæ modiis CCXVI, prætereaque CCCC modios lucri abstulit Apronius decumanus (2), id est plus tertia parte totius frumenti in agro nati, idque uno decumarum nomine quum et aliis nominibus, ut mox videbimus, alias etiam summas ab iisdem aratoribus abstulerit idem Apronius.

Hujusmodi injuriis quum triennio Verres aratores vexavisset, periculum jam erat ne agros colere desinerent homines, et, solitudine in Sicilia facta, deesset plebi romanæ victus et annona. Jam si Ciceroni credas, plus dimidia parte aratorum, relictis familiis, instrumentis, sedibusque patriis, profugerant, nonnulli mortem sibi ipsi conceiverant (3). Operæ pretium est ipsius oratoris testi-

(1) Cic., in Verr., lib. III, cap. 14; Cf. cap. 20.

(2) Cic., in Verr., lib. III, capp. 48, 49, 51, quæ, si vernaculo sermone exprimere placet, sequentes numeros efficiunt : la valeur du modius est en litres 8,64; le revenu brut annuel du territoire léontin était donc de 135,520 hectolitres, ce qui donne, à raison de 13 francs l'hectolitre, prix moyen, 2.552,800 francs. Cette somme, partagée entre 84 propriétaires ruraux, donne 27,771 francs pour le revenu brut moyen de chaque propriétaire. Les 50,000 *juga* du territoire léontin, partagés entre 84 personnes, donnent 557 jugères pour l'étendue moyenne de chaque exploitation. Enfin, les 616,000 *modii*, enlevés par Apronius, valent 53,222 hectolitres, soit 798,550 francs.

(3) Cic., in Verr., lib. III, cap. 51. In agro leontino 84 aratores anno primo professi erant qui anno tertio ad 52 redacti sunt. Ita in agro mutycensi

monium audire in hæc verba : « Quum quadriennio post in Siciliam venissem, sic mihi affecta visa est ut hæ terræ solent in quibus bellum acerbum diuturnumque versatum est. Quos ego campos antea collesque nitidissimos viridissimosque vidissem, hos ita vastatos nunc ac desertos videbam ut ager ipse cultorem desiderare ac lugere dominum videretur. Herbitensis ager, hennensis, murgentinus, assorinus, imacharensis, agyrinensis ita relictus erat ex maxima parte ut non solum jugerum sed etiam dominorum multitudinem quæreremus. Ætnensis vero ager qui solebat esse cultissimus, et quod caput est rei frumentariæ, campus leontinus, cujus antea species hæc erat ut, cum obsitum vidisses, annonæ caritatem non vererere, sic erat deformis atque horridus ut in uberrima Siciliæ parte Siciliam quæreremus (1). »

Igitur L. Metellus qui Verri in prætura siciliensi successit, antequam in provinciam proficisceretur, ab urbe Roma litteras ad Siciliæ civitates misit, per quas significavit se lege Hieronica venditum decumas, quamobrem hortari se ac rogare ut ararent, ut sererent in beneficio populi romani; neque tamen antiquum modum sationis assequi potuit, sed decumis multo minoris quam unquam antea venierant venditis, litteras Romam rursus ad consules, prætorem et quæstores urbis misit, nuntians se, pro eo ut temporis difficultas aratorumque penuria tulisset, in reliquum tempus vectigalibus et annonæ populi romani prospexisse (2).

Præter eas ordinarias decumas, si quando ad alendos exercitus aut annonam urbi Romæ suppeditandam majori frumenti copia opus esset, tum exigendas alteras decumas decernebat senatus, ita tamen ut pro his pecunia solveretur aratoribus æstimatione facta (3). Ita sæpe Siciliæ Sardiniaque binas esse decumas imperatas testatur Livius (4). Ne vero totum aucti vectigalis onus in agri decumani aratores redundaret, ipsæ liberæ immunesque civitates frumentum pro rata portione summæ imperatæ secundum factam senatusconsulto æstimationem dabant. Quod idem dicen-

pro 187 quos acceperat, 86 decedens reliquit; in agro herbitensi pro 252 tantummodo 120, in agro denique agyrinensi pro 230 tantummodo 80 superfuere.

(1) Cic., in Verr., lib. III, cap. 18.

(2) Cic., in Verr., lib. III, capp. 15-18, 33-35.

(3) Cic., in Verr., lib. III, capp. 16, 70.

(4) T. Liv., lib. XXXVI, cap. 2; lib. XXXVII, cap. 2.

dum esse videtur et de iis civitatibus quarum ager a censoribus locari solebat, ita ut summa toti Siciliæ imperata, civitatibusque distributa, diversis modis perciperetur, prout quæque civitas immunis, decumana, censoriave esset (1).

Eo ipso anno quo prætor Verres in Siciliam venit, lege Terentia et Cassia frumentaria et senatusconsulto cautum erat ut frumentum in Sicilia ea ratione emeretur. Pretium constitutum decumano in modios singulos HS III, imperato HS IIS, quodquidem ideo majoris æstimationem videtur quia liberis civitatibus imperatum; utraque æstimatione profecto benignissima quum eodem anno modius tritici HS IIS veniret (2).

Eam pecuniæ summam acceptam ab ærario publico prætores aratoribus dispendebant. Evehendum autem frumentum portandumque Romam locabant Romæ publicæ censores populi romani, conducebant mancipēs (3).

In eo vectigali tollendo ita se gessit Verres ut pecuniam ab ærario datam sibi servaret, civitates frumentum atque insuper lucrum accessionesque dare cogeret.

Frumentum denique in cellam sibi sumere ex senatusconsulto et legibus prætori licebat, aut si mallet pecuniam ex æstima-

(1) Cic., in Verr., lib. IV, cap. 9 : « Tritici modium LX empta populo romano dare debebant et solebant (Mamertini), abs te solo remissum est. Respublica detrimentum fecit, quod per te imperii jus una in civitate imminutum est; Siculi, quod hoc non de summa frumenti detractum est, sed translatum in Centuripinos et Halesinos, immunes populos; et hoc plus impositum quam ferre possent. » — Lib. III, cap. 75, Halesinis immunibus sexaginta millia modium imperata esse dicit. Cf., cap. 70 : « Frumentum in Sicilia emere debuit Verres ex senatus consulto et ex lege Terentia et Cassia frumentaria. Emendi duo genera fuerant, unum decumarum, alterum quod præterea civitatibus æqualiter esset distributum : illius decumani tantum quantum ex primis decumis fuisset; hujus imperati tritici modium DCCC millia. » Quam DCCC millium summam si cum summa Halesinis Mamertinisque imperata conferas, liberis censoriisque demum civitatibus videtur esse imposita, non etiam decumanis, quod et æquitas et ratio suadent.

(2) Vid. Cic., in Verr., lib. III, capp. 73, 70, ubi notas numerales felicissime Zumpt. restituit. (Gallice : le prix moyen du blé était 2 sesterces et demi (32 centimes et demi) par modius (8 litres 64 centilitres); l'Etat payait le modius 3 sesterces (63 centimes) aux villes sujettes à la dime, et 3 1/2 aux autres villes (75 centimes 1/2). De ces prix et de ceux que nous avons indiqués dans une note précédente, on peut conclure que la valeur en échange de l'argent était au moins double de ce qu'elle est aujourd'hui.)

(3) Vid. Cic., in Verr., lib. III, capp. 74, 76.

tionem (1). Modus autem pretiumque lege definiebantur. Verres quinquies tanto amplius imperavit quam lege permissum erat, quumque frumenti in cellam modium HS IV, hordei HS II aestimavisset senatus, ipse nova aestimatione facta in modios singulos ternos denarios, id est HS XII, imperavit.

Neque decumarum neque frumenti in cellam quantitatem indicavit Cicero, sed frumentum in cellam ad usus tantummodo praetoris imperabatur, decumarum autem summam probabili conjectura assequi licet. Pretium enim ab aëario accepit Verres quotannis in alteras decumas HS nonagiens, in frumentum imperatum HS duodetriciens (2).

Omnes præterea civitates Siciliae tributum populo romano pendebant, ideoque quinto quoque anno Sicilia tota censebatur. Census habebant in unaquaque civitate bini censores a populo delecti : iis potestas omnis aestimationis habendæ summæque faciendæ quam, ut videtur, imperaverat senatus romanus, permittebatur. Quid effecerit tributum ignoratur ; neque enim nisi paucissimis verbis de eo loquitur Cicero, quum non in publicanorum nec praetoris romani sed in censorum manibus tota rei administratio esset. Hoc unum certum est civem quemque siculum certam pecuniam pro modo fortunarum suarumolvere debuisse (3).

Ut re frumentaria ita plurimum re pecuaria valuisse Siciliam quum multis testimoniis tum ipsa rerum ratione compertum habemus. Igitur quum pleraque in Sicilia pascua publica populi romani essent, vectigal de pecudibus exigebatur nomine scripturae, quæ scriptura pergrandem pecuniæ summam efficere debuit, quum in interiori insula saltus immensos equorum, boum oviumque greges quotannis æstate depascere. Scripturam Siciliae a publicanorum societate redemptam apud Ciceronem invenimus, quæ

(1) Cic., in Verr., lib. III, capp. 81, 97 ; Cf. 82 : « Certe hoc ab aratore primum est profectum aut ab ea civitate cui imperabatur : quum aut frumentum vendidisset, aut servare vellet, aut in eum locum quo imperabatur portare nollet ; petivit in beneficii loco et gratiæ ut sibi pro frumento quanti frumentum esset dare liceret. »

(2) Cic., in Verr., lib. III, cap. 70. (Gallice : la dîme valait donc 9,000,000 de sesterces, c'est-à-dire 3,000,000 de modii, soit 260,000 hectolitres, ce qui, à raison de 13 francs par hectolitre, donne 3,900,000 francs. La valeur intrinsèque de 9,000,000 de sesterces est de 1,890,000 francs.)

(3) Vid. Cic., in Verr., lib. II, capp. 53, 53, 56.

L. Carpinatium quemdam Syracusis magistrum habebat (1).

Præterea de omnibus exportationibus vicesima portorii nomine exigebatur, fortassis et de iis quæ in Siciliam mari adveherentur. Ideoque in omnibus locis maritimis certi homines præfecti portorii erant, cavebantque ne quid in fraudem societatis fieret; eadem enim publicanorum societas scripturam portoriumque Siciliae redemerat. Portorium autem de rebus exportatis debebatur sive ad Siculos aliosque provinciales, sive ad cives romanos et ipsum etiam prætorem pertinerent (2). Dicitur enim Canuleius quidam portorio syracusano præfectus Romam ad socios misisse litteras quibus permulta Verris furta, quum ille pro exportationibus portorium nullum daret, perscripserat. Eo teste HS LX millia paucis mensibus socios perdidisse Cicero ait ex vicesima portorii Syracusis. Erant igitur res exportatæ HS duodecies. « Cogitate nunc, ait Cicero, cum illa Sicilia sit, hoc est insula quæ undique exitus maritimos habeat, quid ex ceteris locis exportatum putatis, quid Agrigento, quid Lilybæo, quid Panhormo, quid Thermis, quid Halesa, quid Catina, quid ex ceteris oppidis, quid vero Messana. » Quum permulti negotiatores in Sicilia essent qui cum Italia, Græcia, Asia, Africa commercium maritimum haberent, quantæ inde pecuniæ publicanis provenerint hoc uno Verris exemplo conjicere licet. Quas res ita per fraudem Verres exportaverit enumerare non inutile erit, aurum scilicet, argentum, ebur, vestem melitensem et stragulam, deliacam suppellectilem, vasa corinthia, frumentum, mellis amphoras (3).

Idem portorium et in liberis immunibusque civitatibus fuisse

(1) Cic., in Verr., lib. II, cap. 70; lib. III, cap. 71; Cf. Festus vº *Scripturarius*: « Scripturarius ager publicus appellatur, in quo ut pecora pascantur certum æs est: quia publicanus scribendo conficit rationem cum pastore. » Cic. ad Attic., V, 15; pro lege Manilia, cap. 6.

(2) Hanc vicesimam vendebant ut cetera vectigalia quinto quoque anno censorum, vendundæque legem dicebant. Cujus censoriæ legis fragmentum in Digestis invenimus. L. 205, D., *De verborum significatione* (L. 16) Alfenus Varus libro VII Digestorum: « In lege censoria portus Siciliae ita scriptum est: *servos quos domum quis ducet suo usu, pro his portorium ne dato.* » — Etiam in Cilicia, proconsule Cicerone, portorium et scripturam redemerat publicanorum societas. Vid. Cic. ad Attic., V, 15.

(3) De portorio, vid. Cic., in Verr., lib. II, capp. 70, 75. (Gallice: 60,000 sesterces valent intrinseque 12,600 francs, relativement plus du double. Les objets que Verrès avait expédiés en quelques mois du seul port de Syracuse peuvent donc être évalués à 800,000 francs.)

videtur, si quæ marinæ erant, quum non a civibus neque a rebus soli exigeretur, sed a rebus mobilibus undecumque venirent, et huiusmodi vectigal etiam in Italia esset.

Pauca denique dicenda sunt de alia exactione quæ, quia non temeraria fuisse, certis autem vicibus rediisse videtur, inter quotidiana vectigalia ponenda est. Moris enim erat ut decedenti prætori, qui de provincia optime meruisset, provinciæ civitates statuas publico sumptu ponerent. Statuarum igitur sibi ponendarum nomine Verres HS tricies exegit; statuam sibi equestrem inauratam Romæ propter ædem Vulcani, alias plurimas in Sicilia posuit, inscripsitque eas a singulis ordinibus, civitatibus, et a communi totius Siciliæ datas, reliquam datæ pecuniæ partem sibi habuit (1).

Si fides habetur Ciceronis editori qui codicum MSS. auctoritate fretus vulgatam lectionem correxit, Carpinatius ille, de quo jam supra diximus, magister erat scripturæ et *sex publicorum* (2), unde colligi potest præter scripturam sex vectigalia publica fuisse in Sicilia a publicanorum societate redempta. In his erat procul dubio portorium, tum, si conjecturam facere licet, salinæ, metalla et piscariæ, de quibus sæpe mentio fit apud jurisconsultos (3).

Ex omni frumento decumano pecuniaque quæ ex vectigalibus proveniret duæ partes fiebant, quarum altera publicanis lucro cederet, altera Romam in publicos usus mitteretur, quanti scilicet vectigalia venierant. Quum vero ad emendas alteras decumas pergrandi pecunia opus esset, eam a societate publicanorum versura facta prætori provinciæ attribuebant censores romani (4), ita

(1) Vid. Cic., in Verr., lib. II, capp. 57-65. (Gallice : 5,000,000 de sesterces valent intrinsèquement 650,000 francs, relativement plus du double.) HS tricies ex Zumptii correctione posuimus; vulgo legitur HS CXX millia, sed mendose.

(2) Cic., in Verr., lib. III, cap. 71. Cf. quæ Zumpt. notat. Vulgo legitur *et societatis publicanorum*.

(3) Vid. Gaius, l. 15, pr. D., *De publicanis et vectigalibus et commissis* (XXXIV, 4); Ulp., l. 17, § 1, D., *De verborum significatione* (L, 16).

(4) Cic., in Verr., lib. III, capp. 70-72. Eam sibi attributam pecuniam ad emendas populo romano decumas, quum apud publicanorum societatem posita esset binis centesimis (21 0/0), feneratus est Verres. — Quanta pecuniæ frumentique summa ex omnibus vectigalibus provenerit, quantum Siculi dederint, publicani lucri fecerint, romanum ærarium acceperit ne conjectura

ut nihil fere aliud nisi binæ frumenti decumæ Romam ex Sicilia quotannis deveherentur. Quæ maxima frumenti copia ad usum legionum plebisque romanæ asservabatur. Frumentariis enim legibus gratis plebi romanæ de publico alimenta dabantur, ideoque amplius XXXIII medimnum singulis mensibus dari Cicero testatur (1), id est quotannis circiter quinquies et vices modiorum, quum singulæ sicilenses decumæ non amplius modiorum tricies essent, imperatum autem frumentum non amplius DCCC.

quidem probabiliter indicare possumus. Cf. Zumpt., *Ueber den Zustand*, etc., p. 269.

(1) Cic., in Verr., lib. III, cap. 30. Cf. Walter, *Geschichte des Römischen Rechts*, t. I, pp. 336-360.

VI.

Ea demum romanæ reipublicæ temporibus forma conditioque Siciliae provinciæ fuit. Postquam autem Augustus Cæsar principatum obtinuit, magis ac magis in dies coaluit in unum immensum totius imperii corpus, donec Antonino imperante nullum fere provinciarum inter se discrimen exstitit. Jam non igitur de vectigalium venditionibus, aut decumis aut censoria locatione agitur, sed unum idemque vectigal fundis impositum capitationis nomine invenire est. Ceterum, etsi inter provincias senatus Sicilia adnumeraretur, proconsules romani ideo abstinentiores fuere quod non ut antea coram senatu populoque romano, sed coram principe accusari poterant, qui plerumque nobilem quemque oderat, provincialesque singulari cura tuebatur; adeoque romano imperio Sicilia adhæsit ut ad Romanorum mores, leges, jura, linguam denique ipsam sese accommodaret.

Quod si eodem tempore Sicilia paulatim pauperior fieri et pes-
sum ire visa est, minoremque hominum numerum alere posse, id non utique romanæ dominationi acceptum feram, imo potius imprudenter constitutæ rei agrariæ, quum agros per se feracissimos, nimiam frumenti copiam in usum plebis romanæ quotannis exigendo, exhausissent aratores, et latifundia continuando soli dominium ad paucos, operam culturamque omnem ad servos colonosve transtulissent.

Antequam finem scribendi faciam, optare mihi liceat ut singularum in orbe romano provinciarum formam conditionemque e veteribus monumentis eruant qui earum rerum curiosi sunt. Ita demum ad integram sinceramque rei romanæ cognitionem perveniri poterit.

Strabon. t. II, p. 365. ---
Le territoire de Pélusium
s'attribue aux vétérans
par Vespasien ---
plusieurs jours de service.
--- Juvénal des Français, vint
de Pont, vers l'an 280. ---
Zénon, sous Basilius
et tenu in minor conto
che non merita. ---
Amaz. des.

Vidi ac perlegi.

*Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, prid. non. maii anno
M DCCC L.*

Facultatis litterarum in academia parisiensi decanus,

VICT. LE CLERC.

Typis mandetur.

*ROUSSELLE,
rectoris vices gerens.*



INDEX.

	Paginas
PROLEGOMENA.....	5
I. De magistratibus romanis.....	8
II. De civitatibus siculis et re municipali.....	15
III. De jure dicundo et judiciis.....	23
IV. De re militari et navali.....	26
V. De vectigalibus.....	28
VI.....	45

LIBRE